

B1H5

V 

440/52

De Gruyter &  
H. Holtkamp  
1881.



7449  
7450  
7451.  
7452

7453  
7454

4  
91

P 198 Segment Bar  
297

Galeum

JAC. PHILIPPI  
TOMASINI  
DE 7450  
TESSE RIS  
HOSPITALITATIS

Liber singularis,

*In quo jus hospitii universum, apud veteres potissimum, expenditur.*



OPTIMI CONSULTORES MORTVI

AMSTELODAMI,  
Sumptibus ANDREÆ FRISII.

M. DC. LXX.

7450



910353

I

Nobilissimo ac Generosissimo  
Domino

D<sup>no.</sup> H E N R I C O

A B

A L C K E M A D E,

*Toparchæ in*

BERCKENRODE, &c.

VEniunt ad te, Nobilissime Domine, Tesseræ  
hæ Hospitalis, & è manibus  
meis evolare gestiunt, ut recipiantur à tam digno, tam  
benevolo Hospite, futuræ  
tesseræ perpetuæ meæ erga  
te gratitudinis, symbola tuæ  
erga me benevolentia. Do-

mo me recepisti, mensæ ad-  
hibuisti, ad ipsa amicitiæ sa-  
cra, deducente me Nobili  
D. Theodoro Kerckringio,  
pene admisisti : quidni fa-  
ciam isti Dex parvâ hacce  
victimâ : litabo, spero. Quod  
si nutu, tanquam certissima  
tessera, asserueris, næ ego fe-  
lici me natum sydere , syde-  
ra ipsa putabo tangere ver-  
tice ; ubi inter cætera lumi-  
na splendet virtutum tua-  
rum astrum , non uno ful-  
gore micans , quod ego po-  
tius hac oblatione colere &  
venerari malo, quam radios  
ejus commemorando quo-  
dam-

dammodo retundere, & in-  
feriore laude obscurare. Su-  
scipe ergo, ita precor, tam  
benevolo animo munuscu-  
lum hoc meum, quam tibi  
syncero defertur: & accen-  
se clientibus, id est, ut ego  
interpreteror humilibus ami-  
cis Tuis,

*Nobilit. ac Generosissime Domine,*

*obsequioso animo addictissimum*

ANDREAM FRISIVM.

ANDREAS FRISIVS  
LECTORI  
BENEVOLO.

**T**am tua privatim interest,  
nosse quid emas, quam mea  
& publice omnium sciri quid ven-  
dam. Quare ut omnibus ex aequo  
satisfiat, sic habeto. Tomasinum  
de Tesseris hospitalitatis vides.  
Hunc authorem ea assiduitate &  
cura prosecuti sumus, ut pagina  
nulla compareat, quæ medicam  
manum ter quaterve experta non  
sit. Ac lacunas quidem numero  
plures, & momenti gravioris, ad-  
hibitâ diligentî codicum collatio-  
ne, qua fieri fide debuit, explevi-  
mus: restitutis quæ vel perperam  
allegata, vel contra authoris men-  
tem, omissa turpiter erant. Quin  
illa etiam ipsa, quæ Tomasinus  
sub-

I  
st,  
ea  
n-  
quo.  
um  
des.  
G  
ina  
am  
non  
ero  
ad-  
ti-  
vi-  
ram  
pen-  
Quin  
sinus  
sub-  
subjicienda operi censuerat, ut uno  
tibi eodemque filo labor & lectio  
curreret, suis singula locis subje-  
cimus; adjectis superpondii loco ex  
Ant. Augustini operibus gladia-  
torum, aliisque tesseras, exhibita-  
que panis gradilis vel congiarii ar-  
tificiosa descriptione. Ac ne quid  
esset, quod tua studia moraretur,  
ipsam etiam ex Chifletio contra-  
cta hospitalitatis indicem tessera  
apponere visum est. Quæ omnia  
si grata tibi acceptaque esse vide-  
buntur, tesseras has brevi ejusdem  
authoris Livius, Livium alii se-  
quentur. Vale.

# INDEX C A P I T V M.

CAP. I.	O	Peris occasio.	I
II.	Tabulæ quædam	Hospitales è veterum monumentis depromptæ.	3
III.	Tabellæ	Gothofredorum expositio.	12
IV.	Hospitalitatis origo, nominisque ra- tio, ubi quid hospitium, & hospes explicatur.	27	
V.	Hospitalitatis usus & finis præcipuus, humanæ vitæ conservatio.	32	
VI.	Dii hospitales enumerantur.	37	
VII.	Hospitalitatis religio.	43	
VIII.	Hospites adorandi ritus unde fluxe- rit.	45	
IX.	Hospitalitas à quibus & in quos po- tissimum exercebatur.	51	
X.	Ius hospitalitatis.	56	
XI.	Hospitia quamobrem primitus insti- tuta.	60	
XII.	Hospitia antiquorum, quæ publica, vel privata, declarantur.	63	
XIII.	De prima hospitum exceptione.	71	
XIV.	Hospitum, ac Legatorum perege venien- tium, itemque exulum traçtatio.	75	
XV.	De omne in hospitum adventu.	88	
XVI.	Apparatus hospitalitatis circa viato- res: ubi de Tessellis, & Symbolo.	89	
XVII.	Hospitalitatis securitas & immu- nitas.	128	
XVIII.	De		

XVI  
XIX  
XX,  
XXI  
XXII  
XXIII  
XXIV  
XXV  
XXVI  
XXVII  
XXVIII  
XXIX  
XXX  
XXXI  
XXXII

I  
3  
12  
14  
18  
27  
us,  
32  
37  
43  
ux-  
45  
po-  
51  
56  
nisti-  
60  
lica,  
63  
71  
hien-  
75  
88  
ato-  
89  
mu-  
128  
I. De

INDEX CAPITVM.

- XVIII. De conviviis quibus hospites excepti:  
    ubi de tricliniis, de mensa & sella  
    hospitali; item de coronis. 130
- XIX. De loco hospitalum in mensa. 141
- XX. De cultu mulierum in hospites. 143
- XXI. Osculum hospitalibus accendentibus,  
    & abeuntibus datum. 147
- XXII. De cultu veterum Iudaeorum in ho-  
    spites: ubi de insigni Abrahæ ho-  
    spitalitate differitur. 153
- XXIII. Hospitalitatis ratio, variis nationi-  
    bus peculiaris iisque cultioribus  
    Græcis, & Romanis. 159
- XXIV. De reliquarum gentium, & præser-  
    tim Germanorum & Gallorum  
    hospitalitate. 168
- XXV. Hospitalitatis ritus Barbaris genti-  
    bus, Scythis nempe, Turcis, In-  
    dis, aliisque familiaris. 176
- XXVI. De hospitalitate Christianorum  
    primævi seculi. 181
- XXVII. Posterioris ævi apud quasdam Na-  
    tiones hospitalitas recensetur. 190
- XXVIII. Hospitalum discedentium ritus. 196
- XXIX. De mercenaria hospitalitate: ubi  
    de Caupona, Taberna, Stabulo, &  
    Diversorio. 204
- XXX. De supremo erga hospites officio. 210
- XXXI. De Inhospitalitate. 219
- XXXII. Operis Peroratio. 227
- SIL-

40

SYLLABVS  
INSCRIPTIONVM  
ANTIQUARVM,  
è quibus nondum vulgatæ asterisco  
signantur.

* L. Arruntio Stella.	4	lbo.	24
Tabula publica	6.7	* Henricus Valesius.	69
M. Crasso Frugi.	8.9	L. Octavio.	73
L. Sillano Flamini.	10	C. Auruncejus.	ibid.
Curat. muneric pub.	13	Sub sacerdote Nymphodo-	
Sub L. Arruntio.	16	ro.	92
L. Cannulejus.	17	Sub sacerdote Iceta.	93
Mercurio negotiatori.	ib	C. Curt.	165
C. Domitio Dextro.	18	* L. Hostilius.	211
C. Vettio.	ibid.	* Et Tortens.	212
Imperator. Cæ. Divi Tra-		D. M. T. Cor.	213
jani.	20	D. M. Val. Att.	ibid.
Maximo Principi.	ibid.	* D. O. M. Laurentio Pi-	
Valerio Proculo.	23	gnorio.	215
Feliciter D. N. N. Cri-		* Tesseria Taganica.	127

J A C.

M

24  
69  
73  
ibid.  
hoda-  
92  
93  
165  
211  
212  
213  
ibid.  
io Pl-  
215  
127

JAC. PHILIPPI  
TOMASINI  
DE  
TESSERIS  
HOSPITALITATIS

*Liber singularis.*

OPERIS OCCASIO,

CAPUT I.

**P**ublicato de Tabellis Votivis libro, quem Eminentissimo Cardinali Francisco Barberino, Magni Patrui URBANI VIII. Nepoti nuncupaveram, nihil æque in votis erat, quam ut urbem Romam, literatorum Emporium, perlustrarem, ac Eminentissimo Principi me coram dicarem, aliosque patronos & amicos, diu literarum commercio notos, conspicerem.

A

An-

## 2 I. P. T O M A S I N V S

Annus supra millesimum sexcentesimum trigesimus octavus vertebatur, cum desideriis nostris fortuna amplissime responderet. Rominam enim Societatis meæ nomine ablegatus, cum summam ibidem hospitalitatem, tum Eminentissimi Cardinalis Francisci Barberini, tum amicorum experirer, serio mecum cogitare cœpi, hanc urbem veræ virtutis domicilium & communem patriam, nec ullo priscos loco evidentiora suæ majestatis vestigia reliquisse: quæ licet ruderibus non raro occultata, clara tamen sèpius eorum monumenta ad satietatem ferme in oculos veniunt. Inter hæc antiquissima in ædibus *Gothofredorum* tabella ænea, eruditis non indigna, cuius gratia hic labor præcipue mihi suscepitus liberalis hospitii monumen-tum erit. Nullo sane loco magis culta olim Hospitalitas quam Romæ; nec hodie usquam frequentiores advenæ benignius excipiuntur, in Dynastarum palatia admittuntur, reli-

giosæ

fructu  
imo e  
scripti  
summe  
tinguiTabu  
teruR  
F  
bella æ  
cias vi  
midia,  
cisis ad  
diligen  
nobiliti  
talitatis  
falius.

giosæ profectionis majorem unquam fructum aut jucunditatem percipiunt: imo exteri, in civium numerum adscripti, communi cæli benignitate summum non raro honoris apicem attingunt.

C A P. I I.

*Tabulae quædam Hospitales è veterum monumentis depromptæ.*

**R** Omæ in cœnaculo Nobilis Viri Francisci Gothofredi Romani tabella ænea, unum pedem alta, & uncias vi. lata Ped. i, & unc. ii. cum dimidia, literis majusculis eleganter incisis adhuc integra conspicitur; quam diligenter delineatam transmisit mihi nobilissimus & egregius omnis hospitalitatis cultor Joannes Baptista Calsius.

## 4 I. P. TOMASINVS

L. ARRVENTIO. STELLA COS.  
L. IVLIO. MARINO.

XIII. K. NOV

M. ACILIVS. PLACIDVS. L. PETRONIVS  
FRONTO. III. VIR. I. D. S. C. FERENTINI. IN  
CVRIA. AEDIS. MERCVRI. SCRIBVNDO  
ADFVERVNT. Q. SEGIARNVS. MAECLIANVS  
T. MVNNIVS. NOMANLINVS

QVOD. VNIVERSI. V. F. T. POMPONIVM. BASSVM  
CLARISSIMVM. VIRVM. DEMANDATAM  
SIBI. CVRAM. AB. INDVLGENTISSIMO. IMP  
CAESARE. NERVA. TRAIANO. AVGUSTO  
GERMANICO. QVA. AETERNITATI  
ITALIAE. SVAE. PROSPERIT. SECUNDVM  
LIBERALITATEM. EIVS. ITA. ORDINARE  
VT. OMNIS. AETAS. CVRAE. EIVS. MERITO  
GRATIAS. AGERE. DEBEAT. FVTVRVMQUE  
VT. TANTAE. VIRTUTIS. VIR. AVXILIO  
SIT. FVTVRVS. MVNICIPIO. NOSTRO  
Q. D. E. R. F. P. D. E. R. I. C.

PLACERE. CONSCRIPTIS. LEGATOS. EX. HOC  
ORDINE. MITTI. AD. T. POMPONIVM  
BASSVM. CLARISSIMVM. VIRVM. QVI. AB  
EO. IMPETRENT. IN. CLIENTELAM  
AMPLISSIMAE. DOMVS. SVAE  
MVNICIPIVM. NOSTRVM. RECIPERE  
DIGNETVR. PATRONVMQUE. SE  
COOPTARI. TABVLA. HOSPITALI. INCISA  
HOC. DECRETO. IN. DOMO. SVA  
POSITA. PERMITTAT. CENSVERE  
EGERVNT. LEGATI  
A. CAECILIVS. A. F. QVIRINALIS. ET  
QVIRINALIS. F.

T2-

*de Tesseris Hospitalitatis.*

Tabulam hanc Gruterus Fulvii  
Vrsini fuisse memorat, cui in extremo  
adjecta sunt.

AD. AVGUST  
TEM. C. P.

AD. AVGUST  
TEM. C. P.

L. Pignorius etiam in suo Antenore narrat, apud Fulvium Vrsinum olim Romæ visam Hospitalitatis tabulam æneam, in ædibus T. Pomponii Bassi, in testimonium desideratae à municipio apud ipsum clientelæ.

Vrsino etiam alteram adscribit Gruterus è veteri marmore, sed mutilam, quam ex ingenio sum conatus restituere.

6 I. P. TOMASINVS

M V T I L A.

*Tabella Hospitalitatis ex Grutero CLXXII. 7.*

.... P V B L I C A E . E X . B . B . I N . H O N . ....  
.... N I F I C E N T I A E Q . I N S T E L . T . F . P V P . ....  
.... I B . P L . P R . C O S . L E G . C O N S V L A R I S . P R O V . ....  
.... I S . E I V S . A C . F R A T R I S . F I L I Q \_ E T . V X O R . ....  
.... V M . T A B V L I S . H O S P I T A L I B V S . T R A N S F E R R I  
.... A N T E . C V R I A M . V E L . I N . P O R T I B V S . F O R .  
.... C A V E R A T . S C H O L A M . H A N C . D I C A V I T

*Instei. Sic tabula in monte Cœlio inventa.*

R E S T I T U T A .

T A B V L A E . P V B L I C A E . E X . B . B . I N H O N O R I S  
B E N E F I C E N T I A E Q . I N S T E L . T . F . P V P .  
L I B . P L . P R . C O S . L E G . C O N S V L A R I S . P R O V I N C I A E  
P A T R I S . E I V S . A C . F R A T R I S . F I L I Q \_ E T . V X O R I S  
O M N I V M . T A B V L I S . H O S P I T A L I B V S . T R A N S F E R R I  
H V C . A N T E . C V R I A M . V E L . I N . P O R T I C I B V S . F O R .  
T V N A E . C A V E R A T . S C H O L A M . H A N C . D I C A V I T

*de Tesseris Hospitalitatis.* 7.

His accedunt Brixiae apud Hieronymum Barganum tabellæ quatuor æneæ, ut refert in monumentis Brixiensibus Clarissimus Vir Octavius Rubeus, inventæ in vico S. Zenonis, quæ plurimum ad rem nostram faciunt: in quibus etiam non pauca de Vulcano ejusque symbolis, admodum eruditæ, pro uberiore hujus argumenti explicatione ab ipso proferuntur.

I. 7.  
P. ....  
V. ....  
OR. ....  
TERRI  
. FOR  
CAVIT  
celio

NORIS  
PVP,  
NCIAE  
XORIS  
SFERRI  
VS. FOR  
CAVIT

His

A 4

M.

8 I. P. TOMASINVS

M. CRASSO FRVGI L. CALPVRNIO  
COSS.

PISON. IIIII

III NON. FEBR.

CIVITAS THEMETRA EX AFRICA HOSPI-  
TIVM FECIT CVM C. SILIO. C. F. FAB.  
AVIOLA IIIIM, LIBEROS POSTEROSQUE  
EIVS SIBI LIBERIS POSTERISQUE SVIS  
PATRONVM COOPTAVERVNT  
C. SILIVS. C. F. FAB. AVIOLA CIVITATEM  
THEMETRENSEM LIBEROS POSTEROSQ.  
EORVM SIBI LIBERIS POSTERISQUE  
SVIS IN FIDEM CLIENTELAMQUE  
SVAM RECEPIT.

EGERVNT

BANNO HIMILIS F. SVFFES.

AZDRVBAL BAISILLEGIS F. LEG.

IDDIBAL BOHARIS F.

M. CRAS-

*de Tesseris Hospitalitatis.* 9

M. CRASSO FRVGI  
L. PISONE COSS.

SENATVS POPVLVSQVE TIMILIGENSIS  
HOSPITIVM FECERVNT CVM C. SILIO  
C. F. FAB. AVIOLA PRAEF. FABR.  
EVMQVE LIBEROS POSTEROSQVE  
EORVM SIBI LIBERIS POSTERISQVE  
SVIS PATRONVM COOPTAVERVNT  
C. SILIVS AVIOLA PR AE F. FAB  
THIMILIGENSES VNIVERSOS SIBI  
LIBERIS POSTERISQVE SVIS SVORVM  
QVE IN FIDEM CLIENTELAMQVE  
SVAM SVORVMQVE RECEPIT  
EGERVNT. LEGATI  
AZDRVBAL SVFFES ANNOBALIS F.  
AGDIBIL. BONCARIH  
IDDIBALIS F. RISVIL  
IIIIII NNO AZDRVBALIS F. XVCELAAZO  
IIIIIIIIIIIIIIIIII AMILCARIS F. AGDIBIL,  
BALITONIS F. SIRNI

10 I. P. TOMASINVS

L. SILLANO, FLAMINI  
M A R T I A L I  
C. VELLEO TVTORE COSS.

SENATVS POPVLVSQVE SIAGITANVS  
HOSPITIVM FECERVNT CVM C. SILIO  
C. F. AVIOLA TRIB. MIL. LEG. III. AVG.  
P R A E F E C T O F A B R. E V M Q V E  
POSTEROSQVE EIVS SIBI  
POSTERISQVE SVIS PATRONVM  
COOPTAVERVNT

C. SILIVS. C. F. FAB. AVIOLA  
EOS POSTEROSQVE EORVM  
IN FIDEM CLIENTELAMQVE SVAM  
R E C E P I T.  
AGENTE CELERE IMILCHONIS  
GVILISAE F. SVFFETE.

L. SIL-

*de Tesseris Hospitalitatis.* ¶

L. SILLANO FLAM. MART.

C. VELLEO TUTORE COSS.

PRID. NON. DECEMB.

CIVITAS APISA MAIVS HOSPITIVM  
FECIT CVM C. SILIO C. F. FAB.  
AVIOLA TRIB. MILIT. LEG. III.  
AVG. PRAE FEC. FABR. EVM  
LIBEROS QVE POSTEROS QVE  
EIVS SIBI LIBERIS POSTERIS QVE  
SVIS PATRONVM COOPTAVERVNT.  
C. SILIVS. C. F. FAB. AVIOLA TRIB.  
MILIT. LEG. III. AVG. PRAEF. FABR.  
APISAM MAIVS LIBEROS POSTEROSQ.  
EORVM SIBI LIBERIS POSTERIS QVE  
SVIS IN FIDEM CLIENTELAM  
RECEPIT.

EGERVN T

HASDRVBAL IVMMO IADERIVM M I

HASDRVBAL HANNONIS

BANNOGABALI

CHINISDO SVFFES I I I I I I I I

SAEPO CHANAEBO

LEGATI

## 12 I. P. T O M A S I N V S

Ex postremis hisce duabus tabellis constat Africæ populum Legatos mississe Brixiam, ut fœdus iniret cum civibus Brixiensibus Fabrorum præfetis. Estque prima Themetra in hanc sententiam. Consulibus Romanis Marco Crasso Fruge, & L. Calpurnio Pisone die 111 Februarii, Themetra Africæ Vrbs, & C. Silius Aviola Fabii filius de tribu Fabia, Fabrorum præfectus, simul fœdus & amicitiam mutuam ac fidem perpetuam iniere inter se, eorum filios, ac posteros adinvicem in clientelam se recipientes. Id agente Asdrubale filio Baisillegis & Iddibale F. Boharis Oratoribus prædictæ Vrbis, in qua erat Suffes Bannus Himilis F. idest Consul, seu Præses.

## C A P . III.

*Tabella Gotfredorum expositio.*

**V**erioris considerationis erit altera, quam Romæ spectavimus.  
In

In qua primum se offert L. Arruntius Stella Consul, cum L. Julio Marino. Civis ille Patavinus fuit, & Vates, cuius ingenii monumenta periisse. Prætor primum, deinde Duumvir, postea à Nerone, ut Cornelius Tacitus Lib. xiiii. affirmit, Ludis insignibus, qui maxima pompa fiebant, ex nobilibus præfectus. Inter dignitates munus illud censebatur. Sic enim Lib. ix. idem : *Sulpicius Rufus Ludi procurator.* In prisco etiam Lapide Tibure :

CVRAT. MVNERIS. PVBLICI  
GLADIATORI

Et apud Suetonium in Caligula, cap. 27 : *curator munerum ac venationum.* Consulatum Stellæ, qui non in Domitianus, ut perperam aliquis, sed in Traianus imperium ex hac tabella incidit, Martialis innuit Lib. xiiii. Epigr. 111. librum suum alloquens : *Ad populos mitti qui nuper ab urbe solebas,*

*Ibis, io, Romam nunc peregrine liber.*

Postea addit:

*Vel, si malueris, prima gradiere Suburra:  
Atria sunt illic Consulis alta mea.*

*Laurigeros habitat facundus Stella Penates,*

*Clarus Hyantea Stella fitior aquæ.*

Cui Consulatum supra voverat , &  
Apollini iuvencum auratis cornibus,  
si Imperatori id suaderet , Lib. ix ,  
Epig. XLII.

*Bis-senos cito te rogante fasces  
Det Stellæ bonus annuatque Cæsar.*

Stellæ vestitum splendidum describit  
Lib. v. epigr. XI.

*Sardonychas , smaragdos , adamantas ,  
jaspidas uno*

*Versat in articulo Stella, Severe, meus.*

Repte meus. Fuit enim illi amicissimus. Patavio etiam oriundum significat Lib. I. Epigr. LXI. ubi Aponum Patavini agri vicum non minoris esse existimationis , ob natales T. Livij, Stellæ , & Flacci , quam Virgilij Mantuanam,

tuam, Tibulli Veronam, ostendit:

*Verona docti syllabas amat Vatis,  
Marone felix Mantua est:  
Censetur Apona Livio suo tellus,  
Stellaque nec Flacco minus.*

Nec est, quod tabulam hanc suspe-  
cta veritatis quisquam opinetur, quo-  
niā apud Panvinium, Sigonium,  
Gruterum, Goltzium, aliosque Ro-  
manorum Fastorum Scriptores L. Ar-  
runtius Stella cum L. Iulio Marino  
nunquam inter Consules enumeretur.  
Solebat enim Populus Romanus anni  
principio Consules nominare, donec  
hunc ordinem Iulius Cæsar primus  
turbasset. Hique Ordinarii diceban-  
tur. Qui vero iis procedente anno va-  
riis de causis subrogabantur, extraor-  
dinarii, sive Suffecti appellabantur.  
Idem fortassis Arruntio contigit, quem  
sub xiv. Cal. Novembris in hac tabula  
Consulem videmus. Fuit etiam in alia  
tabella Fulvii Vrsini:

SVB. L. ARRVENTIO. STELLA  
NAVIS. HARENARIA. QVAE  
SERVIT. IN. AEMILIANIS  
REDEMTORE.

L. MARCO. FELICE

Sed plura de hoc viro in Athenis no-  
stris Patavinis , ubi pleniores eorum  
censum instituemus , qui literis incla-  
ruere.

Annos vero per Consules enumera-  
tos , uti sat notos , non est quod heic  
memorem . Vnus pro multis testis mi-  
hi Lucanus Pharsal . Lib. iv :

*non erigit ægros  
Nobilis ignoto diffusus consule Bacchus.*

Hoc est vetustatis supra memoriam Vi-  
num , quemadmodum notavit Theo-  
dorus Pulmannus ad Poëtæ indicem .  
Nos porro quæ minus obvia breviter  
exponemus .

M. ACILIVS. PLACIDVS. L.  
PETRONIVS FRONTO IIII VIR  
I. D. S. C. idest Iuri dicundo sacri con-  
sili

*de Tesseris Hospitalitatis.* 17

filii FERENTIN. Ferentinorum, qui  
Tusciae oppidum habitabant.

Est & Inscriptio apud Vulfinios in  
Gruterop. CCC. LXXXV. i.

L. CANNVLEIVS  
IN ITALIA. VOL SINIENSIVM  
PATRIAE. SV AE  
ITEM. FERENT. ET TIBVRTIVM  
ITEM. COLONI. ITALICENSIS. &c.

*In Curia ædis Mercurii.* Mercurius  
quippe negotiis, tractatibus & contra-  
ctibus prærerat. Veteri monumento  
in hanc rem nihil manifestius:

MERCVRIO. NEGOCIATORI  
SACRVM  
NVMISIVS. ALBINVS  
EX. VOTO

Mercurius à mercibus dictus, Festo  
auctore, quem negotiorum omnium  
Deum existimarunt.

Nec insolens Curiæ mentio in con-  
ficiendis contractibus. Ita enim In-  
scriptio Neapoli in ædibus Hadriani  
Guljelmi:

C. DO-

C. DOMITIO. DEXTRO. II. L. VALERIO  
 MESSALA. THRASIA. PRISCO. COS  
 VI. IDVS. JANVAR  
 IN. CVRIA. BASILICAE. AVG. ANNIAN  
 SCRIBVND. ADFVERVNT  
 A. AQVILIUS &c.

Item in tabella ænea apud Anton. Au-  
 gustinum Archiepiscopum Tarraco-  
 nensem

C. VETTIO. &c.  
 IN. CVRIA. AVG. &c.  
 HONOREM. SIBI. A. NOBIS. OBLATVM  
 LIBENTI. ET. PRONO. ANIMO  
 SVSCIPERE  
 ET. SINGVLOS. VNIVERSOSQ. NOS  
 REMQ. PVBLICAM. NOSTRAM  
 IN. CLIENTELAM  
 DOMVS. SVÆ. SVSCIPERE  
 DIGNETVR

*Scribundo adfuerunt; ut testes, qui  
 in omni publico & privato contractu  
 intererant.*

*Quod universi. V. F. P. id est. Uni-  
 versi Ferentini populi.*

*Pomponium Basum. Præcipius hic  
 Nervæ*

Nervæ Trajani Imperatoris domesticus, cui potissimum Italiae res demandatae fuerant, ejusque auctoritas spectatur à titulo Clarissimi Viri. Quem Viris Consularibus olim Romæ peculiarem, suis magnatibus per immensam annorum seriem Serenissima Respubblica Veneta summo splendore integrum vindicavit.

*Ab Indulgentissimo Imperatore.* Hoc in primis titulo Principes populi auram videntur captasse, nominisque famam sectati. Sic enim Nerva in edicto ad Plinium Lib. x. sub Epist. 66. *Necesarium pariter credidi ac latum, obviam dubitantibus indulgentiam meam mittere.* Neque ab eo degenerem se præbuit nepos, qui hoc monumentum meruit.

IMP. CAE. DIVI

TRAIANI. PARTHICI. F

DIVI NERVAE NEP.

FRAIANO. HADRIANO

AVG. PONT. MAX.

TRIB. POT. III. COS. III

IMP. II. PP

RHODANICI

INDVLGENTISSIMO. PRINCIPI

Hanc laudis partem retulerunt &  
Imperatores posteri.

MAXIMO. PRINCIP. I

INDVLGENTISSIMO

DOMINO. VALENTI. TRI

VMPHATORI. SEMPER. AVG.

*Municipio nostro. Q.D.E.R.F.P.D.E.R.I.C.  
Hoc est : Quid de eare fieri placeret , de*

ca

*de Tesseris Hospitalitatis.* 21

*care ita censuerunt.* Ita in multis tabel-  
lis hac verborum formâ utebantur  
contrahentes.

Municipiorum autem genera fuere  
duo. Aliis enim civitas Romana cum  
suffragio, aliis sine suffragio commu-  
nicata erat: sic & Coloniарum. Agel-  
lius lib. XVI. cap. XIIII. ait: *Muni-  
cipes esse cives Romanos ex municipiis, le-  
gibus suis & suo jure utentes, mune-  
ris tantum cum populo Romano honorarii  
participes.*

*In clientelam amplissimæ domus suæ.*  
Hinc palam fit non solum hospitali-  
tatis jus exercuisse, qui advenas &  
peregrinos excipiebant, sed in pri-  
mis qui populos in clientelam suam  
& mutuam confœderationem recipie-  
bant. Quod recte ad municipia inte-  
gra se se extendebat, quorum con-  
fœderatio ad memoriam diuturnio-  
rem & sociorum splendorem tabellis  
æneis inscribebatur. Quam consuetu-  
dinem antiquissimam indicat Hebræo-  
rum cum Romanis fœdus, ejusmodi  
tabel-

22 I. P. T O M A S I N V S  
tabellis inscriptum Machabæorum lib.  
I.C.VIII. Et hoc rescriptum est, quod re-  
scriperunt in tabulis æreis, & miserunt  
in Ierusalem, ut eſet apud eos ibi memo-  
riale pacis & societatis. Ejus generis  
Romæ in monte Cœlio sub ruderibus  
ædis S. Erasmi anno M. D. L X I . tres  
erutæ tabellæ , quas mihi viſum est  
oculis ſubjicere.

V A-

VALE RIO. R  
POPVLONI

OCVLO V.C.

PRAESIDI. PROVINCLAE. VAL. BYZAC  
D. D. NN. CRISPO. ET. CONSTANTINO. IV NI ORE.  
NOBILISSIMIS. CAESS. COSS. IIII KAL, SEP  
MVNICIPES. MVNICIPI. T. AELI. HADRIANI. AVG. C. VI  
LITANI. Q. ARADIVM. RVFINVM. VALERIVM. PROCVLM  
C.V. LIBEROS. POSTEROSQUE. EIVS. SIBI. LIBERIS. POSTE  
RISQUE. SVIS. PATRONOS. COOPTAVERVNT. TESSERAM  
Q V E. H O S P I T A L E M. C V M. E O. F E C E R V N T  
Q. ARADIVS. RVFINVS. VALERIVS. PROCVLS. LIBERI  
POSTERIQVE. EIVS. MVNICIPES. MVNICIPI. T. AELI. HA  
DRIANI. A V G. CIVILITANI. LIBEROS. POSTEROSQUE  
EORVM. IN. FIDEM. CLIENTELAMQ. SVAM. RECEPERVNT  
I N. Q V A M. R E M. G R A T V I T A M. L E G A T I O N E M.  
SVSCEPERVNT. INSTEIVS. RENATVS. ET. APOLLONIVS  
GALLENTIVS. DVOVIRI. T. AELIVS. NIGOCINVS. ET. AELIVS  
FAVSTINVS. AEDILES. L. AELIVS. OPTATIANVS. CAMMARIA  
NVS. FLAVIVS. SECUNDINVS. DOMITIVS. OPTATIANVS  
AEMILIUS. NENIGONIVS. AEMILIUS. T. TRACIVS. STA  
TILIVS. SECUNDIANVS. EX. P. P. ET. VNIBERSVS. ORDO

## FELICITER

DD. NN. CRISPO. ET. CONSTAN  
 TINO. NOBB. CAESS. IT. COSS.  
 X. KAL. MAI  
 QVOD. Q. ARADIVM. VAL. PROCVLVM  
 V.C. PRAESIDEM. PROV. VAL. BYSAC  
 FAUSTIANENSES. PATRONVM. COOP  
 TARENT. CVM LIBERIS. POSTERISQUE  
 EIVS. SIBI. LIBERIS. POSTERISQUE  
 SVIS. TESSERAM. HOSPITALEM  
 CVM. EO. FECERVNT. VII. SE. IN. FIDEM  
 ATQVE. CLIENTELAM. VEL. SVAM  
 VEL. POSTERORVM. SVORVM  
 RECIPERET. ATQVE. ITA. IN. HAC  
 RE. SPLENDIDISSIMVS. ORDO  
 EIVS. CIVITATIS. FAUSTI  
 ANENSIS. LEGATIONEM. PRO  
 SECVTVS. EST.

Hæc tabella ænea est apud Achil-  
 lem Maffeum, lata uncias XII. alta  
 vero XXI. ita ut tympanum septem,  
 reliquum vero quatuordecim digito-  
 rum spatium occupet.

Al-

Altera apud eundem in ænea  
tabula:

DD. NN. CRISPO. ET. CONSTANTINO  
NOBILL. CAESS. IT. COSS.  
V. IDVS. APRIL  
DECVRIONES. ET. COLONI. COLONIAE. AELIAE. AV  
GVSTAE. MERCVRIALIS. THAENIT. CVM. QVIN  
TO. ARADIO. VALERIO. PROCVLO. V. C. PRAESIDI  
PROVINC. VAL. BYZAC. HOSPITIVM. CLIENTE  
LAMQVE. FECISSENT. ET. SIBI. LIBERISQVE. SVIS  
POSTERISQVE. EORVM. COOPTASSENT. QVINTVS  
ARADIVS. VAL. PROCVLS. V.C.PRAES. PROVIN. VAL  
BYZAC. A. DECVRIONIBVS ET. COLONIS. COL. AELIAE  
AVG. MERC. THAENIT. HOSPITIO. CLIENTELAQVE  
SVSCEPISSET. LIBERISQVE. SVIS. POSTERIS  
QVE. EORVM. IN. QVAM. REM. LEGATOS. IRE  
DIXERVNT. VNIVERSOS. ORDINIS. VIROS  
CENSENTIBVS. CVNCTIS. AGENTIBVS  
CVRIAM. Q. VALERIO. MARVLLO. ET. C. HOR  
TENSIO. CONCILIO. DVOVIRIS

*Tabula hospitali incisa hoc decreto.*  
*Hypallage , pro decreto hoc tabulæ*  
*hospitali inciso.*

Sed & hospitium facere priscis erat  
 pactum inire de certis negotiis , veluti  
 optime ostendunt tabellæ Brixenses.  
 Locus autem in quo hospites negocia-  
 bantur , *zervinæ* appellabatur , Suida  
 teste. Id etiam de privatis hominibus  
 insinuat Symmachus Lib. ix. Ep. 118.

*Hospitem tuum Faustinum Senatus am-  
 plissimus in societatem recepit , tanta apud  
 nos testimonii tui antiquitas est , ut differ-  
 ri quæ velis , instar injuriaæ sit. Et lucu-  
 lentius Cicero in Verrem Act. ult. de  
 Senatu Syracusano : Decernunt statim  
 ut fratri meo hospitium publice fieret ,  
 quod is eandem voluntatem erga Syra-  
 cusanos habuisset , quam ego semper ha-  
 buisse. Id non modo tum scripserunt ,  
 verum etiam in ære incisum nobis tradi-  
 derunt.*

Recte qui conventibus ejusmodi in-  
 tererant , Egerunt. unde in tabella pri-  
 ma Brixensi *Agente*. Actio namque  
 con-

*de Tesseris Hospitalitatis.* 27  
contraētūm significat. Egerunt autem  
Legati. Sic etiam Brixiensis.

#### C A P . I V .

*Hospitalitatis origo , nominisque  
ratio, ubi quid Hosptium, &  
Hospes explicatur.*

**V**Ix homines ex rudi illa vita veluti  
è somno experrecti , cælum , stel-  
lasque aspiciunt , quin alias terras  
etiam , aliorum hominum genus , alia  
loca tenere potent , quorum mores ,  
vitamque investigare exoptant , pa-  
triæque pertæsi hinc vagari , atque cu-  
piditate discendi & diversa videndi ,  
alibi diversari tentant . Hinc spon-  
taneo exilio ad longinquæ loca pro-  
fiscuntur , ubi exteri & peregrini  
primum hospitio , tum affinitate in-  
digenis se jungentes , invicem cliente-  
lam se poscentes , hospites esse inci-  
piunt . Cumque naturæ & rationis  
ductu homo sit animal sociabile , so-  
cietas hinc , sodalitas , contubernium ,

amicitia, fœdus, hospitalitas ex hujusmodi commercio exortæ. De hospitalitate in præsens sermo noster erit. Hæc enim amicitia quædam hospitio contracta, vel liberalitas & quædam animi propensio in hospitibus recipendis. Ita Cic. Officior. 11. *Recte etiam à Theophrasto est laudata hospitalitas, est enim, ut mihi quidem videtur, valde decorum, patere domos hominum illustrium illustribus hospitibus: idque etiam Republicæ est ornamento, homines externos hoc liberalitatis genere in urbe nostra non egere.*

Igitur qui à patrio cælo errant, hospitio indigent, vel diversorio. Vnde hospitium est consuetudo, qua alios in nostram domum accipimus. De cuius necessitudine Budæus: *Hospitium est familiaris quædam amicitia, vel mihi hospitandi apud illum, vel illi apud me.*

Si vero locus indicatur, hospitium domus est, quæ gratis liberaliterque venienti hospiti patet. Cicero Famil. ix: *Hoc idcirco nosse te volui, ut scires, hospit-*

de Tesseris Hospitalitatis. 29

hospitium tibi ubi parares. Et ad Atticum 11. Te in Arpinati videbimus, & hospitio agresti accipiemus.

Hinc illæ locutionum formulæ.  
Hospitium cum aliquo facere, hospitio  
conjungi: hospitium esse alicui cum ali-  
quo. Cicero Famil. xiiii: Avitum mi-  
hi hospitium cum Lisonem, Lisonis filio.  
Ibidem: Cum Demetrio Mega mihi ve-  
tustum hospitium est: familiaritas tanta  
cum Siculo nostro. Idem pro domo sua:  
Quo cum mihi amicitiam Respublica  
conciliavit, hospitium voluntas utriusque  
conjunxit. Horatius etiam Sermon.  
Lib. i. Satyra v. Excipere hospitio.

Hospitii significationi etiam hospi-  
tis convenit. Hospes porro ampliori  
significatu etiam alienum notat apud  
Apostolum ad Eph. cap. ii. v. xix.  
Quemadmodum Peregrinum apud  
Persium Sat. ii. & Terentium in An-  
dria Act. iv. Sc. vi: Nunc me hospi-  
tem lites sequi, quam hic mihi sit facile  
atque utile, aliorum exempla commonent.  
Et Cic. Acad. i. Nam nos in nostra urbe

peregrinantes, errantesque tamquam hospites, tui libri quasi domum deduxerunt; ut possemus aliquando qui & ubi eßemus, agnoscere. Idem Cicero ad Att. Est enim aliquid advenientem non esse peregrinum atque hospitem.

At hospes proprie dicitur, qui vel alterum hospitio excipit, vel ipse excipitur. Priorem modum indicat Cic. pro Dejotaro: *Quamobrem hoc nos primum metu C. Cæsar, per fidem & constantiam, & clementiam tuam libera, ne residere in te ullam partem iracundiae suspicemur. per dexteram te istam oro, quam Regi Dejotaro hospes hospiti porrexisti.* Alterum ad Familiares Lib. ix. Non multi cibi hospitem accipies, sed multi joci.

Sed & hospita genere fœminino profertur, ut hospita mulier; quod etiam ad inanimata transit: unde hospita aquora Virgilio, item flumina & hospita tecta apud Ovidium.

Ab hospite præterea hospitalis & hospitalitas Græcis ξενία derivatur. Est que

que hospitalis, liberalis, & facilis ad recipiendum hospites hospitio. Itemque ad hospitium pertinens. Qua ratione tam in persona, quam extra personam est. Ostendemus infra etiam Iovem hospitalem appellari, ut qui hospitii praeses sit. Cic. Verr. Act. 1.  
*Homo qui semper hospitalissimus, amicissimusque nostrorum hominum existimatus eset, noluit videri ipsum illum Rubrium invitus in domum suam recepisse.* Idem in Offic. 2. *Theophrastus quidem scribit, Cimonem Athenis etiam in suos curiales Laciadas hospitalem fuisse.* Et T. Livius lib. 1: *Exceptus benigne ab ignariorum consilio, cum post cœnam in hospitale cubiculum deductus eset &c.*

Ejusdemque originis HOSPITALIA, ædes publicæ egenis excipendi, hospitia non inepte possunt appellari; quæ vulgo hospitalia, Græcis xenodochia dicuntur. De diversorio tamen intellexit Vitruvius lib. vi. cap x.  
*Præterea dextra ac sinistra domunculæ constituuntur, habentes proprias januas,*

triclinia, & cubicula commoda, ut hospites  
advenientes, non in peristylia, sed in ea ho-  
spitalia excipientur. Qua ratione Suidas  
*Xenodochium publicus locus hospitibus*  
*recipiendis destinatus.*

Quæ vero viatoribus, peregrinisque  
mercede patent, *Cauponæ ac diversoria*  
vocantur. De quibus nos inferius.

## C A P. V.

*Hospitalitatis usus & finis præci-  
pius, humanæ vitæ conservatio.*

**H**ospitalitas necessaria est, quan-  
doquidem homo homine eget  
in hac vita, & hospitalitas est ea li-  
beralitas, qua quis peregrinos & ex-  
traneos solet hospitio recipere. Quid  
vero optabilius amicis se mutuo co-  
lentibus, & quid splendidius ac sua-  
vius, quam extraneos intra suas ædes  
ad communem mensam trahere? Hinc  
regius character existimata est huma-  
nitas & hospitalitas, gemmisque pre-  
tiosis præferenda. S. Chrysostomus

Homil.

Homil. de Elem. & Hosp. Hospitalita-  
tem exerce, continenter orationi incumbe,  
videbis hæc fore auratis vestibus potiora,  
gemmaisque pretiosis & monilibus longo  
intervallo præstare. Messis hæc copiosa  
eidem Tom. vi. Orat. in D. Petrum &  
Eliam: Hospitalitatis semen vidua spar-  
sit, & statim florentem atque copiosam ho-  
spitalitatis messem collegit. Itaq; sumptus  
in hospitem jure laudatus à Plauto:

*In mala uxore si quid sumus, sumptus  
est:*

*In bono hospite atque amico quæstus est  
quod sumitur.*

Plato etiam Lib. de Legum Latione i.  
hospitii necessitudinem esse necessa-  
riam significat hisce verbis: *Fortassis  
etiam omnibus pueris, postquam sibi jus  
cum civitate aliqua hospitu necessitudi-  
nem esse audierint, hoc modo benevolen-  
tia quædam à teneris statim animum subit,  
ut qui hospitii jus jactant, veluti alteram  
patriam illam, post suam civitatem ha-  
beant.*

Hospitalitatis porro usus & necessi-  
tudo non solum inter præsentes , sed ad  
posteros etiam , veluti hereditarium  
quoddam bonum transiit ; & quænam  
illius vel contrahendi , vel etiam reno-  
vandi & instaurandi ratio fuerit , Ho-  
merus docet sub Diomedis atque  
Glauci persona , qui in ipso prælio pa-  
ternam hospitii necessitudinem reno-  
varunt . Nam Diomedes cum interro-  
gasset Glaucum , quonam esset oriundus , & Glaucus exposuisset : statim pa-  
ternum illum esse hospitem affirmavit .

*Certe mihi hospes paternus es antiquus :*  
*Oeneus enim olim nobilis eximum Bel-*

*lerophontem*

*Hospitatus est in aula , viginti dies de-*

*tinens.*

*Hi vero etiam sibi mutuo dabant xenia*

*pulchra ;*

*Oeneus quidem balteum dedit phœni-*

*ceo colore lucidum ,*

*Bellerophontes autem aureum poculum*

*utrinque cavum ,*

*Et*

de Tesseris Hospitalitatis. 35

*Et illud ego reliqui proficiens, in aedi-  
bus meis.*

Postea antiquam hospitii necessitudi-  
nem inter se pacti sunt. Pergit enim  
Vates:

*Manusque mutuas apprehenderunt,  
fidemque dederunt  
Et acceperunt.*

Id optime Virgilius Æn. xi expressit:

*Nec vos arguerim, Teucri, nec fædera,  
nec quas  
Iunximus hospitio dextras.*

Inde symbolum hospitalitatis dextra  
fuit, veluti suo loco monuimus.

Hospitii vero usus & necessitudo an-  
tiqui instituti erat, non modo inter  
privatos, sed etiam inter populos: ne-  
que id quidem modo, sed etiam inter  
singulos, privatosque homines & civi-  
tates, quæ sancte religio sequerentur eam co-  
luere.

Sic Populum Romanum cum aliis  
vel populis, vel regibus, vel etiam pri-  
vatis hominibus Senatus consulto sci-

mus hospitium contraxisse. Quo alludens Virgilius *Æn.* vii.

*Ipse modo Æneas (nostris si tanta cupidio est,*

*Si jungi hospitio properat, sociusque vocari)*

*Adveniat.*

Propterea hospitium persæpe pro amicitia usurpatur, & apud Hyginum *in hospitium venire inviolabilem fere significat amicitiam*, quandoquidem hospitiij jus sanctum erat. Ejus autem amicitiae erat nota pignusque tessera, de qua suo loco plenius. Etiam *in hospitium & honorem recipere*, idem significat.

Plato denique sapientissimus summum hospitalitatis finem, ad quem omnia referenda, ipsum Deum statuit; & in Lib. v. de Legibus, cum ipsis peregrinis sanctissimum nobis pactum commerciumque intercedere. Omnia namque vel ipsorum peregrinorum, vel civium peccata, atque delicta adversus

versus peregrinos commissa, in ipsum  
potissimum Deum, ceu ultorem ac vin-  
dicem redundant. Nam peregrinus so-  
ciis atque cognatis destitutus, homi-  
num pariterque atque Deorum mis-  
ericordia magis videtur dignus.

C A P. V I.

*Dii hospitalares enumerantur.*

**A**Rctum itaque fuit olim hospitii  
vinculum, atque adeo etiam divi-  
ni numinis reverentia sanctum, ut ho-  
spitii disceptationi Jovem inter alios  
superstitione religiosa primarium præ-  
ficeret antiquitas, Jovem hospitalem  
eum appellans & invocans, quasi ho-  
spitii præsidem & vindicem, cuius in-  
tutela hospites esse credebantur. Plau-  
tus in *Pcenulo Act. v. Sc. i.*

*Deum hospitale ac tessera mecum  
fero.*

Ita Romani Jovem *Xenium*, id est ho-  
spitale appellabant. Idque sine du-

bio Græcorum auctoritate. Ait enim  
Homerus Od. 5.

— τερψ γὰρ Διός ἐστιν ἄπαντες.

Ἑάνοι.

*Ab enim Iove sunt omnes hospites.*

Hinc fides Iovis hospitalis Cic. ad Qu. Frat. Non faciam ut illum offendam, ne imploret fidem Iovis hospitalis. Et pro Dejotaro: Si te palam interemisset, Iovis quidem illius hospitalis numen non unquam celare potuiisset. Apulejus lib. III. Sed proh Jupiter hospitalis & fidei secretanumina. Eadem mente Virgilius Æneid. I.

*Iupiter (hospitibus nam te dare jura loquuntur)*

*Hunc latum Tyriisque diem, Troiaque profectis*

*Ese velis, nostrosque hujus meminiſe minores.*

Ita Jupiter ultor & vindex supplicum atque hospitum apud Plutar. in Amatorio. Jovis autem hospitalis fœdus tangit Apulejus Metam. lib. VII.

de

de equis verba faciens : *Nec Hospitalis Iovis servato fædere , rivalem summo furentes persequuntur odio.* Huc pertinet Lycaonis fabula , qui cum hospitio suscepitos hospites necaret , à suscepto Jove , postquam ei epulas humanas apposuisset , versus in Lupum , exemplo suo ostendit hospitii jura non esse violanda . Ideoque Jupiter ab Ovidio hospes appellatur , ejusque aræ venerationi fuit :

*Ante fores horum stabat Iovis hospitis aræ.*

Homeris certe variis in locis Jovem tutorem hospitum depraedicat. Od. 5.

*Et tu senex multa paſsus , postquam te ad me duxit fortuna*

*Ne mihi mendaciis gratificare , neque mulceas.*

*Non enim ob id ego te honorabo , neque diligam ;*

*Sed Iovem hospitalē veritus , teque ipsum miseratus.*

Et

Et in ix. Odyssea :

*Jupiter autem ultior est supplicumque  
hospitumque*

*Hospitalis, qui hospitibus simul vere-  
cundis opitulatur.*

Idem in Odyssea ξ :

*Jupiter tibi det hospes & immortales  
Dii alii*

*Quodcumque maxime vis, quoniam  
me benignus hospitatus es.*

Et alibi :

*Hospes, non mihi fas est, ne que si vilior  
te veniat,*

*Hospitem contemnere, ab enim Jove  
sunt omnes*

*Hospitesque pauperesque : munus au-  
tem exiguumque charumque*

Templa etiam Jovi hospitali dicata  
insinuat Historia Machabæorum Lib.  
xi. cap. vi. *Antiochus in Hierosolymis  
templum Jovi Olympio dedicavit, & in  
Gariim, prout erant ii, qui locum inha-  
bitabant Jovis hospitalis : adeo miseros  
Hebraeos tyrannis premebat!*

A Jove

de Tesseris Hospitalitatis. 41

A Jove etiam fulmina hospitalia exorta prodit Barnabas Brissonius Lib. I. de Formulis p. 127. ubi varia enumera fulminum genera. Quænam fuerint, explicat Seneca Lib. 11. Natural. Quæst. Hospitalia fulmina quæ sacrificiis ad nos Jovem arcessunt, & (ut verbo eorum molliori utar) invitant.

Venus præterea, veluti amoris mater, hospitali titulo honestatur. Cicero pro Cœlio: *Huic facinorit tanto tua mens liberalis, conscientia, tua domus popularis, ministra, tua denique hospitalis illa Venus adjutrix esse non debuit.*

Minerva quoque hospitalis dicta, auctore Pausania Lib. 111. *Quo in loco Parcae sunt, ibidem est hospitalis Jupiter, & hospitalis Minerva.*

Caftori & Polluci pariter hymnus dicebatur ζενιομός, quod hospitales effent, & placida numina, ut Scholiafestes Pindari docet in Olympiis.

Hinc Theoxenia festum erat, ut Pindari Scholiafestes tradit, in quo multi hospites confluabant, & hilariter excipi-

42 I. P. T O M A S I N V S  
piebantur Ode. 111. *Olympia* alii  
dictum hoc festum volunt, quod Her-  
culi, Castori, Polluci, & hospitalibus  
Dii fuerit sacrum, ut refert ibidem in-  
terpres, quia cum essent tutelares Dei  
ludorum præfecti ab Hercule, vide-  
bantur excipere hospites advenientes  
ad ludos.

Lares item. His accedunt Dii Via-  
les, qui præsunt viis, quos invocare so-  
lent qui peregre proficiscuntur, & ad  
viam se accingunt, quos in libro de  
Donariis attigimus.

Apollo quoque Theoxenius, id est  
hospitalis Deus à Pellenensibus voca-  
tus cultusque fuit, apud quos ejus Dei  
Templum, ad quod certamen Theo-  
xenia nomine celebratum fuit; ubi  
victoriae ejus præmium fuit argentum,  
teste Pausania, sive ut Pindari interpre-  
tes volunt, chlæna vestis.

C A P.

C A P . V I I .

*Hospitalitatis religio.*

**Q**Vanta esset vis hospitii, quanta religio & necessitudo apud Romanos, indicat nobis T. Livius noster lib. v. ab urbe condita cap. xxviii. de Timasitheo Liparensi loquens, qui Legatos Romanos hospitio exceptos, ac Delphos usque deductos, retro in Vrbem sospites reduxerat. *Hospitium* (inquit) cum eo Senatusconsulto factum est, donaque publice data. Et lib. xxxvi i. de bello Syriaco Princeps legationis expositis initiis amicitiae cum populo Romano, meritisque Rhodiorum: *nihil*, inquit, nobis tota nostra actione, Patres Conscripti, neque difficilius, neque molestius est, quam quod cum Eu mene nobis disceptatio est, cum quo uno maxime regum, & privatim singulis, & quod magis nos movet, publicum civitati nostrae hospitium est. Ultima in Verrem sic eloquentiae Parenis invehitur, tan quam

quam hospitii violatorem : Pater aderat Dexio Tindaritanus , homo nobilissimus , hospes tuus : cuius tu domi fueras , quem hospitem appellaras : eum cum illa auctoritate & miseria videres præditum , num te ejus lacrymæ , num senectus , num hospitii jus , atque nomen à scelere aliquam ad partem humanitatis revocare potuit ? Sed quid ego hospitii jura in hac tam immanni bellua commemoro : qui Sthenium Termitanum , absentem hospitem suum , cuius domum per hospitium exhaust , & exinanivit , absentem in reos retulerit , causa indicta , capite damnarit : ab eo nunc hospitorum jura atque officia quaramus ? Cæsar de Hæduis Lib. I : Quibus præliis , calamitatibusque fractos , qui & sua virtute , & Populi Romani hospitio , atque amicitia plurimum ante in Gallia potuissent , coactos esse Seuanis obsides dare nobilissimos civitatis . Et de Germanis Lib. VI . Hospites violare fas non putant : qui quaque de causa ad eos venerunt , ab injuria prohibent . sanctosque habent ; iis omnium domus patent , virtusque communicatur . Immo sa-

cro-

erosa  
viola  
spani  
temp  
funi  
opida  
fanda  
meru  
eos a  
hospi

I M  
ve  
barba  
nus ir  
Toxa  
po At  
Pylad  
eriam  
spond  
tha , i  
viriju

crofanctum hospitium fuisse, ejusque  
violati nefas, indicat Libro de bello Hi-  
spanico A. Hirtius Pansa: Eodemque  
tempore transfuga nunciavit ex oppido,  
Junium, qui in cuniculo fuisse, jugulatione  
oppidanorum facta, clamasse, facinus se ne-  
fandum, & scelus fecisse, nam eos nihil  
meruisse, quare tali pena afficerentur, qui  
eos ad aras & focos suos receperissent, eosque  
hospitium scelere contaminasse.

C A P. VIII.

*Hospites adorandi ritus unde  
fluxerit.*

**I**MMO ea paulatim crevit hospitum  
veneratio, ut apud Scythes, alioquin  
barbaros, pro Diis haberentur. Lucia-  
nus in Toxari, sive de Amicitia refert.  
Toxarim Scytham hominem Mnesip-  
po Atheniensi, exprobranti sibi, quod  
Pyladem & Orestem peregrinos atque  
etiam hospites pro Diis colerent, re-  
spondisse. *Quod hospites erant, non Scy-*  
*tha, id vero nihil obstat, quo minus boni*  
*viri judicentur.* Ho-

Hospites autem esse venerandos merito putabant veteres, tum ne inhumani viderentur, tum quia si Dii aliquando sub peregrinorum habitu ad mortales accederent, tectis ne prohiberentur. Magna itaque religione hospites adventantes recipiebantur. Sic Jovem apud Licaona Ovidius introducit.

*Et Deus humana lustres sub imagine terras.*

Et viii. Metam. de Jove & Mercurio:

*Iuppiter huc, specie mortali, cumque parente*

*Venit Atlantiades, positis caducifer alis:  
Mille domos adiere, locum requiemque  
petentes;*

*Mille domos clausere seræ.*

Homerus pariter saepius Deus obrantes finxit. Quod quidem convenit cum illo D. Pauli à S. Chrysostomo in sermone de Lazaro receptum. Sectamini hospitalitatem; per hanc etiam quidam inscientes hospitio exceperunt Angelos.

gelos. Ingressi igitur hospites excipientes supplices adorabant. Id manu fiebat ad os illata; qualiter apud Juvenalem à facie *jactare manus*. Sic Minucius Felix in Octavio: *Cæcilius, simulacro Serapidis denotato, ut vulgus superstitionis solet, manum ori admovens, osculum labiis impressit.* Nam is erat adoracionis ritus apud veteres. Apuleius in Apologia: *nefas habet adorandi gratia manum labris admovere;* hinc labratum osculum, & labrata oscula. Sic numina sua, sic Imperatores suos adorabant, & Imperatorum imagines haud minus quam Deorum simulacra. Aliquando etiam manu ad os relata solebant sacram Principis purpuram contingere, capite demisso. Adorationis etiam mos erat, adorantes primum manum porrigerere, deinde statim ad os referre; quanquam & primum alii contra faciebant, & manum osculari, deinde eam versus illum, quem adorabant protendere consueverant; unde *oscula jacere, & basia jactare.* Cornelius Tac. Lib. I.

Hist.

Hist. cap. xxxvi. *Nec deerat Otho  
protendens manus, adorare vulgum, ja-  
cere oscula, & omnia serviliter pro do-  
minatione. Ita etiam manu venerari, &  
manu salutare, ut de Nerone Tacitus:  
postea genuflexus & cætum illum manu  
veneratus est. Sic aurigæ flagello po-  
pulum venerabantur, cum flagellum  
ipsum osculabantur. Sic amici tangunt  
dextram, Virgil. lib. viii.*

*Compellare virum, & dextræ conju-  
gere dextram.*

Vbi videndus est Servius: dextræ enim  
conjunctio amoris & hospitii signum,  
& propterea hospitibus dextra porri-  
gebatur. Cic. pro Dejotaro: *Per dex-  
teram te istam oro, quam Regi Dejotaro  
hospes hospiti porrexisti.*

Virgil. xi.

*Nec vos arguerim Teucri, nec fædera,  
nec quas*

*Iunximus hospitio dextras.*

Quod factum fortassis, vel quia dextra  
validior est sinistra, vel quia supplican-  
tes

tes & miseros, quibus favemus, dextera erigere solemus. Semper enim dexteram porrigerere, est auxilium præstare. Dexter etiam antiqui se mutuo venerabantur : per dexteram jurabant, tanquam fidei & virtutis auxilium ; & alicui dexteram injicere, est in familiaritatem admittere.

Nec solum hospites adorabant, sed excipientes quoque, ut mos est Anchoretarum, iis pedes lavare consue- runt. Ita in Vitis Patrum Lib. II. *Cum aliquem sibi adesse senserunt servi Dei, continuo procurrunt obviam, & velut Angelum Dei excipientes adorant, pedes lavant, ad orationem invitant, mensam ponunt, atque omnia secundum di- vinum mandatum complent charitatis officia.*

Inter alia B. Apollonii documenta de hospitalitatis studio hoc erat : ut adventantes fratres quasi Dominum suscipiamus advenientem. Addit enim : *hos- pes fui, & suscepisti me.* Sic enim Abraham suscepit eos, qui homines quidem

C vide-

50 I. P. TOMASINVS  
videbantur, Dominus in eis intelligebatur.

Immo Hospites adorat Apollonius,  
osculo excipit, eorumque pedes lavat,  
velut in ejus vita memoratur: *Vbi autem appropinquare jam cœpimus, audita voce psalmi, etiam ipse Sanctus Apollonius procedit in occursum. Et ut vident nos, statim prior adoravit usque ad terram, & surgens osculo nos suscepit. Vbi autem ingressi sumus Monasterium, oratione prius (ut moris est) data, pedes nostros propriis manibus lavit, & cætera quæ ad requiem corporis pertinent adimplevit. Hæc autem facere ei moris erat omnibus adventantibus.* Adorando genua tangebant, quia genua misericordiæ dedicata erant, ut ait Plinius: unde vota ad genua Deorum ponebantur, ac signabant, quemadmodum de Veterum Votis ac Donariis Cap. v. uberrime differuimus.

CAP.

C A P. IX.

*Hospitalitas à quibus & in quos  
potissimum exercebatur.*

**H**ospitalitas, nectar, ac pabulum  
humanæ conditionis, & Clarissi-  
morum Virorum delicium, pleno jure  
ab omnibus, & in omnes exercenda. Hi  
vero hospites, aut erant domestici, aut  
incogniti. Qui domestici, erant amici  
externi, in quos Martialis allusit Lib.  
III. Epig. IV.

*Vnus erit (michi crede) satis, cui non eris  
hospes.*

Hi vero magnis honoribus excipieban-  
tur. Nam ut eorum erat fortuna &  
nobilitas, armis, fistulis, buccinis, at-  
que tympanis procul admodum ab ur-  
be, partim peditatu, partim equis, &  
curribus honorifice iis obviam ibant  
incolæ, eos expectantes in amplissimo  
loco, ubi summa comitate & verbis  
eos salutare, & in urbem ea pompa in-  
troducere, eosque ad proprios lares,

congregatis amicis deducere consueverunt. Cui officio, si Legati erant, feligebantur etiam à Senatu viri graviores, qui iis omnia hospitalitatis officia prolixe deferrent, conviviisque magnificis, ac muneribus exciperent.

Amici præterea hospites habebant tesseras hospitales vel symbola.

Sin autem hospites erant incogniti & peregrini, horum quatuor erant genera. Primum nempe peregrinorum, puta mercatorum & negotiatorum, qui lucri gratia undique convolant, nihil maris pericula vel asperas vias timentes. Alterum eorum, qui orbis delicias ut lustrent, vel discendi causa, longe à patria & parentibus veluti exules spontanei regiones diversas peragrant, ut sunt hodie Germani, Galli, Flandri ac Belgæ, qui propter virtutes sponte exulant. Vel qui sacrorum causa, & ad ludorum spectacula publica convolant. Tertium eorum, qui publice à populo, vel à Principe missi, legationis causa aliunde

de ac  
fortun  
Hi m  
atque  
ejecti  
pe te  
habet  
Iliad.

Ste

Sic A

Pa

Præter  
cieban  
Græco  
sive ra  
genua.  
tangeba  
plicter  
supplic  
habere  
tes ver

de accedunt. Quartum eorum , qui fortuna , aut calu aliquo adveniunt. Hi maxime hospitio sunt excipiendi , atque humaniter tractandi. Qui enim ejecti à fortuna , domestici casus nempe tesseras , supplices vittas & ramos habebant. Inde Homerus Libro 1. Iliad.

*Stemmata habens manibus Phæbi vi-  
brantis ab alto.*

Sic Æneas Lib. viii. Æneid.

*Paciferaque manu ramum prætendit  
Oliva.*

Prætendere autem ramum , quod faciebant hospites peregrini , est apud Græcos ~~περιτελεῖν σέφανον~~ ; nam coronam sive ramum prætendentes tangebant genua. Petron. Arb. *Infelicissimus puer tangebat genua cum fletu , petebatque suppliciter.* Solebant enim veteres , cum supplicabant , præ manibus coronam habere , sive Lauri , sive Olivæ. Hospites vero supplices sedebant *ἐπὶ ἑσχάρᾳ* ,

hoc est, in foco, ante cineres, ut videre  
est apud Homerum, ubi Ulysses ante  
cineres in foco sedet, quod non pla-  
cket tandem Minoi socio Heroi Eche-  
neeo:

*A'λινο', ε' μδ' τοι τισε κελλεον, ε' δε λοιπε,  
Ξενον μδ' χαμαγκηδει επ' εσχάρη εν νονιησιν,*

*Alcinoë, non sane tibi hoc honestum,  
neque convenit  
Hospitem quidem humi sedere ad fo-  
cum in cineribus.*

Scriperat enim Homerus supra.

*Ω's ειπων, κελ' αρ' εζετ' επ' εσχάρη εν νονιησιν  
Πατερ πυρι.*

*Sic fatus resedit ad focum in cineribus  
Fuxta ignem.*

Atque hinc etiam dicta εσχάρει ab  
αρπαν, hoc est à precibus. Ibi enim pre-  
ces ejecti hospitesque, sive miseri fun-  
debant, ad misericordiam commoven-  
dam, unde aram tenere, se aram tueri apud  
Latinos, & Juvenalis Sat. x.

*Et ruit ante aram summi Jovis, ut vi-  
tulus bos.*

Lo-

Loquitur vero Poëta de Priamo,  
qui ad Aram Jovis à Neoptolemo est  
obtruncatus. Qui vero sic ante focos  
in cineribus sedebant supplices, ( ho-  
spites ignoti videlicet & ejecti, quibus  
loqui vetitum observat Apollonii Rho-  
dii Scholia stes Lib. iv.) si postea cogno-  
scabantur, adlevabantur & in sella se-  
debant. Hom. Lib. vii. Odyss.

*Manu prehensum Ulyssem, prudentem  
vario consilio  
Levavit à foco, & in sedem locavit  
splendidam,  
Filio cedere iusso virili Laodamante  
Qui ei proximus sedebat, maxime ve-  
ro ipsum amabat.*

Ad hæc solemnitatem ludorum in-  
nuit Dionysius Halicarnasseus in exci-  
piendis hospitibus per dies festos Li-  
bro vii.

Hospitum beneficentia patriæ de-  
siderio postponitur, Halic. Lib. v. Etru-  
sci à Cumanis casti, atque in agros Roma-  
nos profugientes, cum in Vrbem plaustris

56 I. P. T O M A S I N V S

comportati omnibus humānitatis officiis fo-  
verentur, abjecto patriæ desiderio apud  
benefactores remanent. His Senatus lo-  
cum in Urbe ad ædificandum dedit, vallem  
inter Palatinum & Capitolinum colles,  
quatuor ferme stadiis protensam; qui us-  
que ad nostram etatem vicus Tuscanus Ro-  
mana lingua vocatur.

C A P. X.

*Ius Hospitalitatis.*

**H**Ospitalitatis apud veteres jus eo  
in pretio fuit, ut sanguinis id  
nexui præferrent. Hoc autem sale &  
mensa contrahi solitum. Mutuis quo-  
que muneribus inter se homines co-  
pulabantur, vel coram, vel per in-  
ternuncios. Hinc Virgilius Lib. ix.  
Æneid.

*Euryalus phaleras Rhamnetis, & au-  
rea bullis*

*Cingula, Tyburti Remulo ditissimus  
olim*

Quæ

*de Tesseris Hospitalitatis.* 57

*Quæmittit dona, hospitio cum jungere  
ret absens  
Cædicius.*

Cædicus nempe Remulo, cum absens eum sibi hospitio vellet jungere, misit phaleras & cingula bullis aureis, hoc est clavis, insignita. Et hoc quidem jus velut hereditarium à parentibus ad posteros traducebatur, cuius vel contrahendi, vel renovandi & instaurandi quænam ratio fuerit, apud Græcos Homerus docet, sub Diomedis & Glauci persona, quos in ipso prælio paternam hospitii necessitudinem renovasse antea monuimus.

Sic hi media in acie à mutuo conflictu sibi temperant. Teucer vero Trojanus, licet cum Priamo esset sanguine junctus, non dubitavit cum Trojanis pugnare, seque popularium sanguine coinquinare. Cætera hospitalitatis jura Homerus sub fabularum involucris descripsit. Quam sacrum ac inviolabile voluerit hospitii jus indica-

vit Aurelius Imperator in Epistola militari ad Vicarium suum, ubi leges militum decernit: *in hospitiis caste se agant.* Ideoque violatum hospitii jus punivit severissime, ut notat Vopiscus. *Solus omnium militem, qui adulterium cum hospitis uxore commiserat, ita punivit, ut duarum arborum capita infleceret & ad pedes militis deligaret, eademque subito dimitteret, ut scilicet ille utrinque penderet.* Philippus etiam Rex Macedonum, improbissimo militi, ingratissimo hospiti, stigmata inscribi jussit, ingratum hospitem testantia, quemadmodum prolixe narrat Seneca de Beneficiis Lib. IV. cap. xxxvii.

Iuris autem hospitalis caput erat Hospites ab aliena vi atque injuria defendere, praeuntibus etiam animantibus iis, quibus vis nulla rationis. Nimirum homines hospitalia servare jura ex avibus cognoscunt: quid religionis hospitibus sit deferendum, quod obsequium deputandum. Nec quidquam in libris veteris novique foederis magis

incolatur piis animis, quam jus hospiti. Atque in primis gentium Doctor i. ad Timotheum 111. hospitales jubet esse Episcopos, quorum est Christi exemplo anniti, ut non solum verbo, sed exemplo aliis prælucceant. Quod ejus officium luculentius exaggerat Barbosa de Officio & Potestate Episcopi, Parte prima, T. 11.

Concl. ix.

Immo Servatorem Christum extremi Iudicii sententiam iis benignam pronunciaturum memorant sacræ litteræ, qui hospitalitatis munus in egenos exercuere.

## C A P. XI.

*Hospitia quamobrem primitus  
instituta.*

**V**T peregrinantes & advenæ suscipi-  
perentur, splendidum ac heroï-  
cum arbitrabantur, patere domos ho-  
spitibus; quin etiam ad urbium com-  
mendationem atque ornamentum per-  
tinere, exteris hoc liberalitatis gene-  
re, ut ait Cicero de Officiis lib. II. in  
urbe nostra non egere. Cui simile est  
illud Pontani. *Est autem non modo pri-  
vatorum civium, verum etiam urbium  
ipsarum summa laus, privatas domos pate-  
re peregre venientibus.* Est enim species  
publicæ humanitatis, ut hospitio pere-  
grinus non egeat. Cujus in sacris lite-  
ris atque prophanis exempla passim  
obvia. Nec sine spe præmii: *Tanta  
namque, eleganter inquit S. Ambrosius  
Officior. lib. II. c. XXI. est apud Deum  
hospitalitatis gratia, ut ne potus quidem  
aqua frigidæ à præmiis remunerationis  
immu-*

immunis sit. Vides quia Abraham Deum  
recepit hospitio, dum hospites querit? Vi-  
des quia Iohannes Angelos suscepit? Quid  
scis, an & tu cum suscipis hospitem, su-  
scipias Christum? cum in hospite sit  
Christus, quia Christus in paupere est,  
sicut ipse ait: In carcere eram, & ve-  
nisti ad me, nudus eram & operuisti  
me.

Gillas Agrigentinus, omnium qui  
inquam fuere liberalissimus, specta-  
cula edendo, epulas apparando, anno-  
nam in caritate rerum subministrando,  
virgines dotando, domum suam adeo  
liberalitatis officinæ & hospitalitati di-  
caverat, ut quingentos equites Gelen-  
ses, vi tempestatis in prædia sua com-  
pulsos, propria impensa aluerit.

Nec hospitia publica solum hospiti-  
bus & peregrinis recipiendis erecta,  
sed plerumque ad exercenda maxime  
circa advenas & egenos pietatis ope-  
ra; ne dicam ad urbium splendorem.  
sublevando nempe cives, qui aliter ex-  
teros recepturi essent, ubi loca merce-

naria defunt. Optimo proinde consilio ea non raro ædificata Principum beneficentia, ad sui nominis perennitatem, & pietatis studio, quo nec Turcarum Imperatores destituti. Immo saepius in conscientiae sublevationem, dum præter Principes, cives quoque opulentiores, hæredibus orbati, extremitate articulo facultates suas hospitali extruendo legant. Quo nullum mortalibus factum dignius: omnes quippe in hoc Mundo peregrinamur. Nec enim juxta Apostolum ad Hebræos cap. xiiii. habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus. Unde D. Bernardus in Sermone de S. Benedicto Abbe: *Peregrinus ad patriam suspirat, ad patriam tendit, vestitum & victum habens, non vult aliis onerari.* Beatus plane, qui suum sic agnoscit, sic deplorat incolatum, dicens Domino: *Quoniam advena ego sum apud te, & peregrinus sicut omnes patres mei.*

Hæc autem locorum privilegia & immunitates Episcoporum est strenue tueri,

tueri, mandato sacrorum Canonum. Nec ejusmodi loca tantum advenis & peregrinis Christiana pietate fuerunt extorta, sed Ordines præterea militares, Hospitaliariorum nomine, ad ejusmodi locorum tutelam instituti. Plures insuper Religiosorum Societates, advenis, ac peregrinis suscipiendis occupatae, plurimis in locis hodie super sunt.

C A P. XII.

*Hospitia antiquorum, qua pu-  
blica, vel privata, decla-  
rantur.*

**E**X honestissima & humanae vitae consona hospitum receptione derivatum est loci nomen, in quo recipiebantur, *hospitalis* & *hospitale*, quod est hospitis, sive quod ad hospitem pertinet. Hinc apud Græcos certæ quædam erant ædes peregrinis hospitibus recipiendis destinatae, de quibus Plato in Libro de Legibus etiam præ-

præcipit, quæ ab illis ξενοδοχεῖα, ξενῶνες,  
ξελαγώναι, καλαγώναι καλανύματα.

Tales quoque Romani domus haberunt, in peregrinorum usum extrectas, quas hospitalia vocarunt. Vitruvius supra à nobis advocatus Lib. vi. cap. x.

Hinc hospitale cubiculum apud Livium Lib. i. Exceptus benigne ab ignaris consilii, quum post cænam in hospitale cubiculum deductus eſet. Et Lib. ii.

Alii profecti domos, nuntii hospitalium beneficiorum, multos Romæ hospitium, urbisque charitas tenuit. Symmachus Lib. iii. Epist. xiv. Deos enim facio testes, has domus, quarum alteram postulasti, jamdudum à me hospitibus eſe decretas.

Cretenses etiam, ut testis est Athenæus Lib. iv. cap. ix. passim per totam suam Insulam binas habuerunt semper in illis Syssitiis extrectas domos, unam quam ἀνδρέων appellaverunt, alteram νοιουντίεων in qua hospites diversari, atque dormire solebant. Ad Constantini ætatem celebre fuit hospitale

S. SAM-

S. Sam  
staura  
stum  
Iustini  
hospi  
& inj  
quoda  
tructu  
que gr  
ter a pa  
collap  
Iustini  
ficien  
to am  
ronius  
rologi  
tem fi  
consti  
vella l  
hujus  
nas, q  
pus  
nius e  
rianus  
hospi

S. Samsonis, ab eodem Imperatore instauratum, postquam ab incendio exstum fuit, ut Procopius de Ædificiis Iustiniani Imperatoris Lib. I. Erat hospitale, in quod recipiebantur languidi & infirmi, superioribus annis à religioso quodam viro, cui Samson nomen erat, extrectum: restabant quædam vestigia, neque gregariis militibus satis commoda; cætera perierant, una cum templo exusta & collapsa. Instauravit illud nobile hospitale Iustinianus, structuræ splendore magnificientius, & mansionum multitudine multo amplius. De hoc incomparabilis Baronius, in notis ad Romanum Martyrologium Die xxvi I. Junii. Hoc autem fuisse primarium, sub quo alia constituta essent, quæ in eadem Novella leguantur. LIX. cap. III. Porro hujus hospitalis presbyter fuit Mennas, qui tunc temporis erat Episcopus Constantinopolitanus. Baronius etiam ad Annum 530. Iustinianus hospitia duo ædificavit unum pro hospitibus peregrinis, alterum ut in eo requietus.

## 66 I. P. TOMASINVS

quiescerent & refocillarentur pauperes & agroti, & hæc in via, qua ad Templum itur Hierosolymis. Cui nihil cedit quod ponit Jo: Leo Africanus Lib. IIII. pag. CXIII. in descriptione civitatis Fessæ. In hoc oppido ducenta fere hospitia, atque inter hæc maxima, quæ in eminenteriori urbis parte summo Templi sunt viciniora. Horum quodlibet triplicem habet contignationem: cubicula autem centum & viginti, aut etiam plura. Est & cuique suus fons cum secessu, & aquæductus elegantissimus, qui fordes omnes efferunt. Neque unquam majora ædificia me vidi se memini. Simile quid innuit Lucianus de Syria Dea. In sacra civitate (sacrorum causa peregrinantem) publicus hospes excipit. Certi enim unusquisque civitatis hospites ibi sunt, & quod ex patria unusquisque venit, id denuo apud se recipit.

In Regno Chinarum hospitia disposita per vias, quæ singula exercitum quotidie possunt excipere, narrat Marcus Polus lib. II. c. xx. quod adducit

Majolus

Majo  
gener  
& jur  
cipiu  
loqui  
Com  
cepi,  
rator  
pro  
Quo  
riam  
com  
truct.  
Qu  
vans  
simul  
solem  
mann  
serte  
in Sa  
adven  
Ver  
fuetud  
Princi  
hospi

Majolus in Colloquio **xxiiii.** Cujus generis in Oriente multa, ubi homines & jumenta simul in eodem stabulo accipiuntur. Quod etiam s<sup>e</sup>pe ex colloquiis Illustrissimi Equitis Simonis Contareni, D. Marci Procuratoris, accepi, qui bis ad Othomanicum Imperatorem Oratoris munere functus erat pro Serenissima Republica Veneta. Quod non minus ad Imperatorum gloriam pertinet, quam ad peregrinorum commodum, etiamsi cultu minori extorta sint.

Qualia in Westphalia etiam observans Lipsius, ubi jumenta & homines simul hospitantur, istum gentis morem solenni Epistola false vellicavit: cui Domannus I. C. magnæ auctoritatis diserte admodum respondit. Nec aliter in Saxonia inferiori passim in pagis advenæ excipiuntur.

Verum ad privatos etiam hæc consuetudo transiit. Immo apud Reges & Principes partes palatii præstantiores hospitibus adsignantur, quæ Etrusco idio-

idiomate *Foresterie* vocantur. Quam comitatem imitati fuerunt alii, suis in ædibus, maximeque viri passim religiosi, qui in unoquoque cœnobio cubicula hospitibus splendidiori supellectili destinarunt. Ea quoque extra-neorum Virorum Clarissimorum imaginibus exornata tradit Pausanias Lib. vi. qui ait : *Hospitii gratia Suphidii, Lampi, & Aristarchi effigies dedicarunt.*

Immo in quibusdam etiam trans-euntium hospitum memoriae exsculpæ leguntur. Sic in ædibus Comitum S. Bonifacii, Patavii Vir splendidissimus Co. Hercules, quum tres Cardinales hospitio exceperisset, pari fortuna ad summum Ecclesiæ fastigium evenetos, in majori triclinio iis monumen-tum decreverat, quod fati injuria intervertit. In superliminari Palatii familiæ Contarenæ ad Brentam, qua Patavio Venetias itur, supereft hodie tabella aurata hoc Elogio :

*de Tesseris Hospitalitatis.* 69

HENRICVS VALESIVS REX  
CVM E POLONIÆ REGNO QVOD EIJS  
SVMMÆ VIRTVTI MERITO EVERAT  
DELATVM IN GALLIAM  
CAROLO FRATRE IX REGE  
VITA FVNCTO  
AD PATRIVM ET AVITVM IRET  
HAC ITER FACIENS  
VLTRQ; AD HAS ÆDES DIVERTIT  
TOTA FERE ITALIA COMITANTE.  
ANNO SALVFI M. D. LXXIIII.  
VI. CAL. SEXTIL.  
TANTÆ HUMANITATIS MEMOR  
FEDERICVS CONTARENVS D.M. PROC.  
FVNDI DOMINVS M. P.

Nec

70 I. P. TOMASINVS

Nec factum destituitur vetustatis  
exemplō. Nam & in Tusculano Bri-  
xiensi hoc extat monumentum :

IMP. CAESAR. PRO. SALVTE

DIVAE. CORNELIAE

VIVENTE. M. TVLLIO.

ET. L. CRASSO. ET. PETRONIO.

SCEVOLA... VIR.

HOSPES. ERAT. CAESAR.

CORNELIAE. Q. PATER.

CAP.

C A P. XIII.

*De prima Hospitum exceptione.*

**I**nter officia hospitalitatis primum erat ~~admodum~~, hoc est salutatio atque exceptio, sive invitatio peregrinorum blanda & humana, partim verbis, partim gestibus quibusdam constans: ut interiores animi affectus demonstrarentur, nec ferrent peregrinum procul à foribus esse; sed ei obviam irent, & exciperent advenientem hac formula: *Salve hospes.* Deinde apprehensa dextera in domum ducebatur: onera, si quæ gestabat, ei mox levabantur. Jumentis pariter prospectum fuit. Prima potissimum cura fuit, hospites de via plerumque fessos molliter collocare: atque in Orientalibus regionibus, sicut ex sacris literis monui, hospites lavare & ungere. Quod hodieque apud Turcas fieri, auctor mihi eruditissimus Joannes Veslingius, celebris Anatolicus Patavii, diu in Ægypto moratus,

tus. Lavabantur autem pedes, ut pulvis in via contractus detergeretur. Ita Ulyssi apud Homerum. Et quidem priscos hospitibus praebuisse aquam calidam, ad abluendum corpus ac pedes; gelidam manibus, indicat illud Martialis:

— *Calidæ gelidæque minister.*

Et Horatius Serm. Lib. I. Sat. IV.

*Sæpe tribus lectis videas cœnare quartinos;*

*E quibus unus avet, quavis aspergere cunctos,*

*Præter eum, qui præbet aquam.*

Item Serm. Lib. II. Sat. II.

— *nec sic, ut simplex Nævius,  
unctam*

*Convivis præbabit aquam.*

Ubi præbere aquam, est convivio excipere. Convivator enim ad hoc balneum calefaciebat. Quod Lyricus Carm. Lib. III. Ode. xix. *Aquam temperare ignibus.* Et qui domi non habebat

bebat  
balnea  
parata  
vium  
& advi

L. O  
R V F  
S C  
B I S.  
S. C

Q V I.  
M V  
H O S P I

Sed ele  
rollum

C. A  
C O L O  
A D V E

L A V A T  
G R A

bebat balnea, conducebat hospitem ad  
balnea iisdem magnificentiā publice  
parata : Sic legimus Romæ L. Octa-  
vium lavationem gratuitam hospitibus  
& adventoribus instituisse.

L. OCTAVIO. L. F. CAM  
RVFO. TRIB. MIL. LEG. IIII.  
SCYTHICAE. PRAEF. FABR.  
BIS. DVOMVIRO. QVINQ. EX  
S. C. ET. D. D. AVGVR. EX. D. D.  
CREATO

QVI. LAVATIONEM. GRATVITAM  
MVNICIPIBVS. INCOLIS  
HOSPITIBVS. ET. ADVENTORIBVS &c.

Sed elegantius ex Lapide apud Zaga-  
rollum :

C. A V R V N C E I V S. ....  
C O T T A  
COLONIS. INCOLIS. HOSPIT. ....  
ADVENTORIBVS. SERVISQ. ....  
E O R V M  
LAVATIONEM. EX. SVA. PECVNIA  
GRATVITAM. IN. PERPETVOM  
D E D I T

Parabantur etiam vestes aliquando, si iis indigerent, deinde epulæ, ut refocillarentur; inter quas moris erat, illos blandis verbis ad cibum & potum capiendum adhortari. In mensa vero sal & vinum primas tenebant. Salis enim confortio res contrahi solitæ. Hinc Æschines in oratione de perperam obita legatione: civitatis salem publicamque mensam ait se plurimi facere. Sal enim ante cibos apponebatur, veluti amicitia symbolum, ut testis est Eustathius in Iliad. & Cælius Rhodiginus Antiq. lect. lib. XII. c. I. Sic apud Germanos acceptus à propinante cyathus adiunxit omne jus agendi injuria. Quod autem sal hospitale agnoverit divinum Eustathius, apparent ex supplicationibus, in quibus quædam scribit ex sale composita. Post cœnam, vel prandium sine tædio rogabantur, cuius rei causa venirent, aut quanam re indigent. Ita Dido Æneam exceptit apud Virgilium Lib. I. Æneid.

Mul-

Multa super Priamo rogitans, super  
Hectore multa:

Nunc quibus Aurora venisset filius ar-  
mis;

Nunc quales Diomedis equi, nunc  
quantus Achilles.

Immo age, & à prima die hospes ori-  
gine nobis.

C A P. X I V.

Hospitum, ac Legatorum peregre  
venientium, itemque exu-  
lum tractatio.

**A**D majorem urbanitatem erga ho-  
spites solebant veteres dare subli-  
miora domus loca. Didymus ad Ho-  
meri Odyss. id factum notat hospiti-  
bus, ut melius exciperentur ac quie-  
scerent.

Alii habebant cubicula hospitibus  
dicata. Et qui hospites exspectabat,  
amicos & agnatos invitabat ad eos  
honorandos. Ædes suas pretiosa su-

pellectili ornabat, vasisque argenteis  
& imaginibus, ut omnia fulgerent. De  
tergenda domo in adventu hospitis Ju-  
venalis :

*Verre pavimentum : nitidas ostende  
columnas.*

Hæc omnia infra, ubi de moribus  
Græcorum & Romanorum. Excipie-  
bantur etiam ruri, sed non invitis agri  
dominis. Quem morem fuisse veteri-  
bus ostendit Columella rei Rusticæ  
Lib. xii. cap. iii. ubi meminit eó-  
rum, quibus ad hospitum adventum  
utitur. Id tamen villico non fuisse us-  
que liberum sine domini licentia, con-  
stat ex eodem Lib. xi. c. i. *Hospitem*  
*nisi ex amicitia domini quam rarissime re-*  
*cipiat.* Monitum salutare, ad rei fami-  
iliaris incrementum. Hospites igitur  
non excluderunt prisci, sed parasitos :  
In quam rem Cato de Re Rust. cap. v.  
de Villico : *Parasitum ne quem habeat.*  
Libertum sane advenientes hospitio  
cepisse, refert Merula apud Varro-  
nem

nem Lib. IIII. cap. II. Scribalibrarius  
libertus ejus, qui apparuit Varroni, & me  
absente patrono hospitio excipiebat. Ho-  
spitabantur in hortis, & in eos invita-  
bantur. Quod Seneca lepide significat  
in Epistola XXI. *Hospes hic bene mane-  
bis, hic summum bonum voluptas est, para-  
tus erit istius domicilii custos, hospitalis,  
humanus, & te polenta excipiet, & aquam  
quoque large ministrabit.*

Hospitalitatem etiam suam in hortis  
sic memorat Martialis Lib. IV. Epigr.

LXIV.

*Hoc rus, seu potius domus vocanda est,  
Commendat Dominus ; tuam putabis :  
Tam non invida, tamque liberalis,  
Tam comi patet hospitalitate  
Credas Alcinoi pios Penates  
Aut facti modo divitis Molorchi.*

Alcinoi pietatem, qua Ulyssem hospi-  
tem exceptit, multis deprædicat Home-  
rus Odyss. 2. Herculem vero à Mo-  
lorcho hospite exceptum Tibullus mo-  
numentis reliquit.

D 3

Inter

Inter peregrinantes autem præcipui sunt Legati, aliquique illustrioris fortunæ , dignitatis , & auctoritatis viri, tum Politici, tum Ecclesiastici, quibus merito inter alios omnis generis honores sunt deferendi. Viris autem Illustribus undique occurunt vel clientes, vel amici, vel ipsi oppidorum Domini , hodieque urbes ipsæ splendidæ , ac profusæ iis tractandis : Legatis cum primis festive , & majori ci-vium comitatu, quibus in lætitia significationem obviam itur, eoque magis, quo fuerint Legati Principum amicorum. In eorum gratiam deliguntur à Senatu viri nonnulli celebriores, & illi potissimum, qui cum advenis illis vel moribus , vel vitæ genere atque præfessione sunt quodammodo conjuncti ; adsunt etiam Consules & Præsides. Hi publico nomine illos honorifice salutant , omnia illis humanitatis atque hospitalitatis officia deferunt ac pollicentur. In urbem introductos in ædes splendidas conducunt,

ubi

ubi una cum illis epulantur, illosque honestis humanisque colloquiis exhibilare student. Quod si forsitan apud aliquem civem divertunt, illuc munera publica mittunt, inter quæ vinum honorarium. Eundem morem apud Romanos fuisse, Isidorus indicat: *Honorarium vinum, quod Regibus & potentibus honoris gratia offertur.* Hinc publico convivio excipiuntur, & si diutius morantur, ludi quoque & choreæ illustrium matronarum, ac omnis generis spectacula in illorum gratiam eduntur. Per urbem, ædificia, aliaque visu digna, spectatuni magnō comitatu deducuntur. Coronabantur etiam prisco more capita Legatorum verbenis. Nimiriū talis Legatio inter ipsos hostes erat veluti quædam pacis sequestra. Quamquam & Legatos olea velatos, sicut & pacem petentes legimus. Virgil. vii. Aeneid.

*Centum oratores augusta ad mœnia regis*

*Ire jubet, ramis velatos Palladis  
omnes.*

Neque enim Legati statim negotia tractabant, sed per aliquot dies antea munuscula dividebant, accipiebantque, ut fecit Jason in patriam reversus. Nam teste Pindaro per quinque dies versatur circa negotia, tandem die sexta consanguineos de re, ob quam venerat, admonet. Sic etiam Bellerophon apud Homerum à tempore, quo exceptus erat, post aliquot dies literas tradit Regi Solymorum. Apud eumdem pariter Glaucus & Diomedes colloquuntur; quod à viris doctis non est observatum, suntque alia hujus rei exempla apud Homerum.

Romanorum erga Legatos Hospitalitas profecto insignis fuit, tantaque liberalitas in excipiendis, ut per urbanum Quæstorem publicum hospitium & munera, quæ Lautia dicebantur, saepe etiam commeatus large & hospitaliter, & vestimenta publico nomi-

nomine præstarent. Quod pluribus comprobare possumus, & præser-tim ex Valerio Maximo Libro v.  
Cap. i. *Ante omnia humanissima & clementissima Senatus aetate referam.* Qui cum Carthaginensium Legati ad capti-vos redimendos in Urbem venissent, pro-tinus his nulla pecunia accepta, reddidit juvenes, numerum duūm millium & Septingentorum quadraginta trium ex-plentes.

Sic etiam Senatus, cum ad gratu-landum sibi Prusiam Bithyniæ Regem, Perseo defuncto, venire audiisset, ob-viam illi Publum Cornelium Scipio-nem Quæstorem Capuam misit: cen-suitque ei domus Romæ quam optime conduceretur, & copiæ non solum ipsi, sed etiam comitibus ejus publice præberentur.

Refert Livius Lib. xxx. cap. xvii. de Legatis Massinissæ, *Legatis in singu-los donane minus quinūm millium, comi-tibus eorum millibus aeris, & vestimenta bina Legatis, singula comitibus data.*

Severus Imperator , ut constat ex Flavio Vopisco , Legatis septuagenos vicenos aureos dedit , eosdem præmisit , facta potestate , si qui vellent remanere , ac secum Romam redire .

Quæ munera Legatis & Hospitibus Illustribus missa Xenia & apophoreta vocabantur , etiamsi aliis placeat Legatis Lautia : Xenia quæ à privato privatis hospitibus & amicis offeruntur vocari . Hinc Martialis Lib. xiiii . Xenia nuncupat carmina amicis loco Xeniorum missa .

*Hac licet hospitibus pro munere distichamittas ,*

Reges Persarum è Legatis unicuique talentum Babylonicum argentum dabant . Talenta vero fuisse duas phialas argenteas ; item armillas & acinacem & torquem : hæc autem universa mille Daricis æstimata , & præterea stolam Medicam , quam Doryphoricam appellant . Auctor Ælianus Lib. i. cap. xxii . Variæ Historiæ .

Legatos etiam largioribus poculis  
in-

invita  
pisco.  
rum ,  
ipſis p  
ab hi  
de m  
eo di  
bibat.

Ne  
Lega  
Nequ  
norib

Tu  
piendi  
public  
pum in  
illis pr  
quibu  
quidem  
natus a


Exte  
inope  
mum  
interdu  
ſi grav

invitare solebat Bonosus ex Flavio Vopisco. Nam si quando Legati Barbarorum, undecunque gentium venissent, ipsis propinabat, ut eos inebriaret, atque ab his per vinum cuncta cognosceret. Unde merito Aurelianus Imperator de eo dixit, Non ut vivat natus est, sed ut bibat.

Nec Italis Principibus quidquam Legatis splendide excipiendis deest. Neque enim discedunt ab iis, nisi honoribus & donariis onusti.

Turcarum quoque Imperator excipiendis Oratoribus Serenissimæ Republicæ Venetæ, & aliorum Principum insigni magnificentia utitur, dum illis preciosas auro pictas vestes tribuit, quibus ornati comparent, quandoquidem nemo nisi Regis munere ornatus admittitur.

Extorres quidem rerum consiliique inopes sub tectum recipere, non minimum humanitatis officium censetur: interdum tamen id periculi plenum, si gravissimis Principum comminationi-



tionibus vetitum. Saturnum errantem atque inopem Janus exceptit. Cujus rei argumenta sunt nummi veteres, in quibus est cum duplice fronte Janus, & in altera parte navis. Laetantius auctor de falsa relig. Lib. I., cap. xiiii.

In Aethopoia Theodori Cynopolitanæ, cuius notitiam Latinamque consuetudinem Eximio Viro Leoni Allatio grata debet posteritas, ad Demosthenem verba sunt Aeschinis. Quid mihi hospitia exhibes, qui rerum domesticarum hospitem reddidisti? Extorris quippe fuerat ille. Proinde se rerum domesticarum peregrinum ait, forte que animo illudit ejus operam, quem sibi adversum fuerat expertus, tanti mali causam.

Quinimmo non solum hospites, verum & hostes non temnenda comitate acceptos auctor Cornelius Tacitus Annal. xiv. cap. xxiv. Nec multo post Legati Tigranocerta missi, patere manenia afferunt, intentos popularis ad iusfa;

*simul hospitale donum, coronam auream  
tradebant.*

Sed crescente Imperio Romano, cum undique sociorum Legati ab exteris Romam confluenterent, sublato immoderato sumptu in iis excipiendis, decretum est, quod Legati Regum, Municipiorum & Coloniарum ad ædem Saturni diverterent, ibique apud Praefectos ærarii nomina darent & litteris adscribi deberent, & quum commodum foret noscendis singulorum postulatis Senatus daretur, & post exposita mandata singuli ad suas Provincias mitterentur. Cur vero ad Saturni templum? Aliqui factum putant, quia Saturnus, cum esset peregrinus, hospitibus gauderet. Alii ut eorum nomina in publicas tabulas referrentur. Apud ædem Saturni erat ærarium publicum.

Legatis vero externorum Principum, seu alterius gentis, antequam admitterentur, exploratores, seu aliquis ex minoribus Magistratibus obviam mit-

mittebatur, qui & quæ peterent inquireret; postea in æde Apollinis extra Vrbem, aliquando in æde Bellonæ Se-natu habito, eorum postulata noscebantur, quos, si videbatur, admitte-bant.

Bellonæ enim templum ideo extra Vrbem constructum erat, quia quos Deos vi sua veteres obesse putabant, in Vrbem diutius non admisere. Sic ædes Vulcani & Martis: Sic Veneris Erycinæ extra Collinam magna mole extructæ fuerunt, ne libido invalesceret. Vitruvius Lib. I. cap. VII. Extra murum Veneris, Vulcani, Martis fana ideo collocari, uti non insuecat in Urbe adolescentibus, seu matribus familia-rum venerea libido.

## C A P . X V .

*De Omine in Hospitum adventu.*

**I**Ta religiose prisci hospitalitatem coluere, ut etiam bona auspicia malis depellendis ex adventu hospitum arriperent. Cujusmodi ad quartanam profligandam apud Plinium Valerianum, vel quod verisimilius, posterioris ævi compilatorem empiricum, variæ superstitionis heic plenum. Lib. IIII. cap. VI. legitur : *Panem & salem in linteo de Lyco liget, & circa arborrem licio alliget, & juret per panem & salem : crastino mihi hospites venturi sunt, suscipite illos. Hoc ter dicat.* Quem locum hactenus corruptum sic restituit Ioannes Rhodius : *Panem & salem in linteo licio deliget, &c. Panem & salem mensis sacrum fuisse constat ex Plinio, qui Lib. XXXI. cap. VII. ait, veteres salem cum pane & caseo esitasse.*

Istius

Istius autem religionis adhuc vestigium est apud Germanos , qui jurant per salem & panem. Nec prætereundum quod Maximus Planudes in Vita Æsopi narrat , ob hospitalitatem linguam ipsi solutam.

C A P. X V I.

*Apparatus Hospitalitatis circa  
Viatores: ubi de Tesseris,  
& Symbolo.*

**V**NUSCUNUSQUE fortunæ ac conditioni respondebat apparatus in excipiendis hospitibus. Omnia vero humanitatis plena sumptibus honorificis siebant. Hospitiæ majestatem præ cæteris insigniter augebant preciosa ædium supellex , virorum clarissimorum comitatus , & munera accendentibus oblata. Quæ omnia breviter tangit Vitruvius Lib. vi. cap. x. ubi de Xeniis : Nam cum fuerunt Græci delicatores , & ab for-

tuna

iuna opulentiores, hospitibus advenientibus instruebant triclinia, cubicula, cum penu cellas. Primoque die ad cœnam invitabant, postremo mittebant pullos, ova, olera, poma, reliquaque res agrestes. Ideo pictores ea, quæ mittebantur hospitibus, picturis imitantes, Xenia appellaverunt. Ceterum mos erat tesseram dare hospitibus semel receptis dimidiatam, quam quicumque attulisset ad hospitem, continue agnoscebat, hospitio receptus, tanquam amicus & vetus hospes. Quod jus necessitudinis, quoniam ad posteros transibat, tesseram hospitalem diligenter observabant.

Plautus in Pœnulo : Act. v. Sc. II.

*Ego sum ipfus, quem tu queris.*

P.O.E. *Hem quid ego audio?*

A.G. *Antidamae gnatum me eſſe.*

P.O.E. *Si ita est, tesseram  
Conferre si vis hospitalem, eccam at-  
tuli.*

A.G. *Agedum hoc ostende, est par  
probe, nam habeo domi.*

P.O.E.

de Tesseris Hospitalitatis. 91

P O E. O mi hospes , salve multum ,  
nam mihi tuus pater,  
Pater tuus ergo hospes Antidamas  
fuit,

Hac mihi hospitalis tessera cum illo  
fuit.

A G. Ergo hic apud me hospitium tibi  
præbebitur.

Tabulas vero hospitales , tesseræ  
divisæ loco , etiam geminas fuisse fa-  
brefactas , aperte monstrant in ædi-  
bus Farnesianis , quæ servantur Græci  
idiomatis æneæ. Quas Benedictus He-  
gius apud Georgium Gualterum in  
Siciliæ monumentis sic Latine red-  
didit.

SVB SACERDOTE  
 NYMPHODORO PHILONIS F.  
 CVM SENATVS ADESSSET  
 PRAESIDE TRIBV  
 HYLLEORVM PRAETORE  
 DIOCLE DIOC LIS F.  
 SCRIBA HADRANIONE ALEXANDRI F.  
 DECRETVM DIE BIMESTRIS CARNEI EXEVNTIS  
 OMNINO DE PVBLICO HOSPITIO  
 DEMETRIO DIODORI F. SYRACVSANO  
 PLACVIT POPVL O SENATVIQUE  
 POST QVAM NVNCIAVERE LEGATI  
 ROM AM PROFECTI  
 PASION PASIONIS F. COFETIS N.  
 ET THEODORVS THEODORI F. XENIAE N.  
 DEMETRIVM DIODORI F. SYRACVSANVM  
 MVLTO AC MAGNO EMOLVENTO FVISSE  
 NOSTRO POPVL O  
 ET MAGNORVM COMMODORVM AVCTOREM,  
 ACRAGANTINIS VERO CVM PATRIVM EST  
 ET ACCEPTVM A MAIORIBVS BONIS VIRIS  
 ET DEFENSORIBVS NOSTRI POPVLI  
 DIGNOS HABERE HONORES  
 QVOD FELIX FAUSTVMQVE AC SALVTARE  
 POPVL O ACRAGANTINORVM  
 DECERNI PVBLICVM HOSPITEM ET AMICVM  
 DEMETRIVM DIODORI F. SYRACVSANVM  
 VT CVNCITIS CLARVM SIT POPVL O ACRAGANTINVM  
 SCIRE GRATIAS REFERENDI DIGNAS  
 BENEFACERE STUDENTIBVS  
 HOC AVTEM DECRETVM IN TABVLAS  
 AE NEAS DV AS INCISIVM  
 VNVM SVSPENDERE IN HOC BVLEVTERIVM  
 AT ALIVD DARE  
 DEMETRIO DIODORI F. SYRACVSANO  
 MONVMENTVM  
 ERGA POPVL O BENEVOLEN TIAE  
 QVAESTORES SVMPTVS QVI PRAESRIPTI  
 ET QVICVNQVE TANDEM NECESSE SVNT  
 ET SVMPTVS FACERE  
 IN QVERATIONES REFERRE  
 EIVS SENTENTIA  
 IN CONCILIO OMNES

Altera de publico hospitio, & benevolentia Diodoti F. Syracusano, & Nepotibus suis.

S V B S A C E R D O T E  
I C E T A I C E T A E F.  
A R C H O N T I B U S D E E R E O , E T C O T E T A E  
P L A C V I T S E N A T V I  
E T P O P V L O M E L I T A E O R V M ,  
Q V O N I A M D E M E T R I V S D I O D O T I F . S Y R A C V S I V S  
S E M P E R B E N E V O L V S E X T I T I T  
E T P U B L I C I S N O S T R I S N E G O T I I S  
E T S I N G V L I S C I V I B V S  
A V T H O R B O N I  
S A E P E N V M E R O F V E R I T  
B O N A E F O R T V N A E C E N S E R I  
D E M E F R I V M D I O D O T I F . S Y R A C V S A N V M  
H O S P I T E M E S S E  
E T B E N E F I C V M  
P O P V L I M E L I T A E O R V M  
E T N E P O T E S E I V S  
V I R T U T I S E I V S E T B E N E V O L E N T I A E  
Q V A M C O N T I N V O  
E X H I B E T I N N O S T R V M P O P V L V M  
H A E C V E R O P V E L I C A H O S P I T A L I T A S I N S C R I B A T V R  
Æ N E I S T A B V L I S D V A B V S  
E T V N A D E T V R  
D E M E T R I O D I O D O T I F .  
S Y R A C V S A N O .

Tessera porro, quam nos Itali *Taglia* vocamus, κελαμός dicitur à Græcis, & κελάμη, quæ palea proprie. Ad Ἑ. Odyss. Didymus :

Ἐστὶ δὲ κελάμη ἡ ὑποστρέψις τῆς ὑπολειπομένης σίτου.  
est calame, quod residuum frumenti remanet, unde romper la paglia dicunt pueri apud Italos, quod est amicitiam scindere.

Erant enim tesserae frustilla lignea, auctore Turnebo Advers. lib. xxix. c. xxvi. certâ insignita & notata formâ, quæ dabantur iis, quibus facultas petendi erat frumentum publice : & à verbo Græco τεσσερες dictum putatur.

Tessera quoque lignum erat complanatum, in quo numeri describebantur : quod & *Talus* dicitur, unde tesserae pro Talis sæpius usurpatæ, qui tesserae Lusoriz vocabantur.

Apud veteres tesseralrum novem reperiuntur genera. Tessera nempe Frumentaria, Nummaria, Militaris, Hospitialis, Comitialis, Theatralis, Convivalis, Lusoria, & Negotiaria.

Fru-

Frumentaria, ut nuper monui, est signum, quo exhibito unusquisque frumentum pro portione accipiebat à Principe. De qua Juvenalis Sat. vii.

Summula ne pereat, qua vili tessera  
venit

Frumenti.

Et Persius Satyra v.

— scabrosum tessera far  
Possidet.

De divisione frumenti & tesseris Suetonius in Aug. c. xl. Ac ne plebs frumentationum causa frequentius à negotiis avocaretur, ter in annum, quaternūm mensium tesseras dare destinavit. Et cap. seq. Frumentum quoque in annonæ difficultatibus ipse levissimo, interdum nullo pretio, viritim admensus est, tesserasque nummarias duplicavit. Gratis enim ex Clodii rogatione frumentum populo dividebatur. Hinc Isidorus: Tessera sunt, quibus frumenti numerus designabatur. Quod quidem sāpe Imperatores honoris causa facere solitos ex numisma-

te

96 I. P. TOMASINVS

te Nervæ \* patet, in cuius adversa parte est modium, mensura frumenti, in quo spicæ frumenti hoc titulo :

PLEBEI. URBANAЕ. FRVMMENTO  
CONSTITVTО. S. C.

Et Maximini aliud, in quo Imperator spectatur cum Tessera, & hac inscriptione :

LIBERALITAS. AVG. S. C.

Panis gradilis † & civicus olim distribu-

\* De hoc Nervæ numismate ita differit Ant. Augustinus. Antiq. Rom dial. 11. Observatum est, inquit, rarius tritici spicas in his nummis spectari, quin illis ad sit papaver, ideo forsitan quod qui hoc vescitur absque cura & mentis inquietudine somnum capere posset. Nisi velimus ideo papaver innummis exprimi, quod deuotet Cererem Deam, que raptam à Plutone Proserpinam filiam dum querit, somno oppressa quievit.

† Modum distributionis panis gradilis, seu congiarii representat præsens hoc Nervæ numisma, cuius dilucidationem ex Antonio Augustino mutuati sumus. Sunt, inquit, & numismata, ubi tabellatum altius, quo gradibus ascenditur, cui insidet Imperator monetam largiens, vel tesseram, quod signum veluti reciprocum erat, quantum csiquel largendum, quasi scedula subscripta atque obsignata, qua Questor inspecta singulis tantum numeraret. Adstat Imperatori vir dextra quadratam tabellam manubrio tenens, in qua utrimque puncta; conjicere licet in hu tabellis notari punctu aliisque notis, quantum erit, vini, aut frumenti singulis distributum. In angulo tabulati spectare licet hominem aliam quadratam tabellam tenentem, alteri



E

stributus pariter per tesseras in Foro de gradibus, quibus Valentianus & Valens Imperatores infigi jussere titulum æneum, qui panis modum & nomen percipientis continebat, ut videre est in Thodosii Codice Lib. xv. de annonis Civicis.

Lib. xv. de annonis Civicis, similiter vinum & oleum de publico accipiebatur. Quam consuetudinem ab Heraclio Imperatore sublatam erudite monuit Claudio Salmasius in *notis ad Flav. Vopiscum*. Memoria dignum, quod Balduinus de Constantini Imperatoris legibus refert Leonis Imperatoris dictum, qui Eulogio Philospho, quum tesseram frumentariam dari jussisset, & quidam murmurarent eam militibus dandam esse, exclamavit. Utinam is sit aliquando temporum meorum status,



ut

*alteri persimilem, quam in Liberalitatis numeris videri diximus, qua buccina fortasse in star populum, ut Imperatoris munificum donum acciperet, advocabat. Hancenus Antonius Augustinus. antiqu. Roman. dial. i., à quo dissentit Cl. Oudanus, antiqu. Rom. dial. v. qui per tabellas supradictas non tesseru, sed ipsam mensuram, qua frumentum admictebatur, denotari autem.*

*de Tesseris Hospitalitatis.* 99

ut militum quoque stipendia in litera-  
rum magistros transferre possem.

Hujus procul dubio census est calcu-  
lus ex gypso, sua magnitudine à me cum  
aliis delineatus, in Pinacotheca Ioan-  
nis Rhodii, utrinq; ANTONINI AVG.



titulo spectabilis, quam ab athleticis  
non multum abesse indicavit L. Pigno-  
rius, nondum tamen explicit.

Hujus autem Tesserae, quæ, non  
tamen dignitatum titulis, quam singulo-  
rum meritis data, erat civica, in hære-  
des emolumenta jure sanguinis trans-  
ferre licuit, vel extraneis vendere, veluti  
Iacobus Gutherius ostendit de Offic.  
Domus Aug. Lib. 11. cap. xi. De qua  
Paulus Iurisconsultus civis noster L.  
Titia Seio. LXXXVII. D. de Leg. 11.  
*Titia Seio Tessera am frumentariam com-  
parari voluit.* Id est annonam civilem.  
Nec aliter intelligendus est Lipsius  
Elect. 1. c. viii. quando affirmat Tes-  
seras Frumentarias olim venditas.

Tesserae Nummariae, qua summa  
nummorum præscripta repræsentari  
solet, causam Dion indicat: *Permultos  
Domitianus, dum imperaret, bonis atque  
fortunis injuste spoliaverat, quibus per  
vim ablata restitui dumtaxat ea voluit,  
qua in aula reperta fuissent. Ad susten-  
tandum civium vitam decies & quin-*  
qua-

de Tessēris Hospitalitatis. 101

quagies centena millia nummūm erogavit,  
Et quosdam Senatorii ordinis delegit, qui  
agros emerent, eosque egenis dividerent.  
Commune fere Imperatoribus tesse-  
ras Frumentarias & Nummarias popu-  
lo dare.

Hunc morem secuti nostri cives  
Patavini sunt, dum publice pauperi-  
bus ad charitatis subsidia, in executio-  
nem piorum legatorum, ad festum  
Sanctissimi Natalis, & Paschatos, num-  
mi ærei circulares, suis signata notis,  
vulgo Bolle, distribuuntur: quos qui-  
cunque dispensatoribus adfert, modo  
panem, modo farinam, modo vinum,  
modo denarios accipit.

Tessera Militaris, quæ aliquando  
pro signo dabatur euntibus ad bellum.  
Virgilius Lib. vii. Aeneid.

— It *bello tessera signum.*

Et Livius Lib. vii. Ceteris omnibus  
dari tessera jussit. Hinc Luctatius  
Gram. ad Lib. vii. Thebaidos Statii,  
tessera bellorum signum ut hospitalem

*teſſeram diximus.* Polybius πλατεῖον appellat, quod taleola esset, vel tabella lata inscripta: sed & ξυλίφιον ab eodem vocari videtur. Itaque ut ut mutata forma & interpolata multis fortasse modis, nomen tamen retinebat. Sed ea voce tandem figura senum laterrum censeri cœpit, quæ teste Macrobius in Somn. Scip. Lib. II. cap. II. Græco nomine cubus dicitur. Quin & tesseras, quas spargebant Imperatores, sphæria, idest globulos, vel pilulas Dion in Nerone & Tito appellat.

Itaque Tessera militaris, qua in alveolo ludi consuevit, Isidoro teste, quadra ex omnibus partibus, Græce νέφες, præceptum notat Ducis, quo exercitus vel ad aliquod opus, vel ad bellum movebatur. Vnde Tesserarii, Vegetio auctore, erant, qui Tesseras per contubernia militum nunciabant. Ita Servius ad VII. Æneid. *It bello tessera signum, symbolum bellum, quod ad pugnas exeuntibus datur,*

rur, confusionis evitandæ causa. Eamque Vegetius duplēcēt facit, Vocalem & Mutam. Vocalis ea est, quam hodie circitores flagitant vulgo *il Nome*. Tessera nempe disciplina militaris postulabat, symbolum bellicum, & signum Tribuno datum ab Imperatore, quo socii milites diagnoscabantur ab hostibus. Cyri Majoris tessera fuit, Xenophonte lib. 111. auctore, *Iuppiter belli socius & Dux*; Minoris, *Iuppiter Servator, & Victoria*. Eam fuisse in castris D. Cæfaris narrat Appianus Lib. 11. *Venerem genitricem*. Aliquando *Felicitatem*, auctor est Hirtius, & Victoriam. Apud Neronem Optimam matrem refert Suetonius in ejus Vita cap. ix. *Primo Imperii die signum excubanti Tribuno dedit Optimam matrem*. Pompejus Magnus elegit signum *Herculem invictum*; & alter juvenis *Pietatem*. In Antonii & Marii exercitu *Lar Deus* signum fuit, Servio teste ad vii. *Æneid*, In exercitu Syllæ *Apollo*: quod idem

idem sibi elegit Brutus in Philippis, ut ex Plutarcho in ejus vita patet. C. Ca-  
ligula Cassio tanquam molli signum  
dedit Priapum & Venerem, ex Sueto-  
nio cap. LVI. Severo Septimio pla-  
cuit, Laboremus, & Pertinaci, Milite-  
mus. Aurelianus, ut refert Flavius  
Vopiscus, signum exercitui apposuit,  
*Manum ad ferrum.* Antiochus, co-  
gnomento Soter, adversus Galatas  
exercitum ducens, signum dedit, Be-  
ne Valete. Refert Cedrenus: *Quinto*  
*anno seditio facta est, cui à tessera no-*  
*men est Nica, idest vince.* Vegetius  
Lib. IIII. cap. v. scribit; nonnullis  
fuisse tesseram, D E V S N O B I S C V M.  
Quam nostro quoque seculo postremis  
Germaniae bellis integro exercitui à  
Ducibus & Regibus commendatam  
novimus.

Mutæ apud Turnebum Adver-  
sior. Lib. xxx. cap. xxxv. duæ memo-  
rantur tesseræ belli & pacis: scilicet  
ligneæ frusta, vel tabellæ ligneæ, qui-  
bus nomen pacis & belli inscriptum  
erat.

erat. Sic Pomponius de Origine Iur.  
Lib. II. Q. Fabius ad Carthaginenses  
missus Legatus, cum essent duas tesserae  
positae, una pacis, altera belli, arbitrio sibi  
dato, utram vellet Romanam referre, u-  
tramque sustulit, & ait: Carthaginenses  
petere debere utram vellent accipere. In  
hunc fere modum Gellius Lib. x. cap.  
XXVII. Q. Fabius Imperator Roma-  
nus dedit ad Carthaginenses epistolam,  
ubi scriptum fuit, Populum Romanum  
mississe ad eos hastam & caduceum, signa  
duo belli aut pacis. Et paulo post:  
*Marcus autem Varro non hastam ipsam,*  
*neque ipsum caduceum missa dicit, sed*  
*duas tesseras: in quarum altera cadu-*  
*ceum, in altera hastae simulacra fuerunt*  
*incisa.* Indis vero anchora erat pro ca-  
duceo, ex Philostrato in vita Apollo-  
ni Lib. III. cap. III.

Tessera itidem hospitalis, sive ho-  
spitii fuit, quam hospites, eorumque  
liberi secum ferebant, ut facilius à ve-  
teribus & paternis hospitibus agno-  
sci possent. Quæ præsentis potissi-

mum est instituti. Luctatius loco pri-  
dem memorato : *Veteres, quoniam non  
poterant omnes hospites suos noscere, tes-  
seram illis dabant, quam illi ad hospitia  
reversi ostendebant proprio hospiti.* *Vnde  
intelligebantur hospites.*

Hujus formam Euripidis Scholiaſtes  
in Medea optime describit. Qui ho-  
spites invicem fieri volebant, *απαιγανον*,  
hoc est talum quendam discindebant  
in duas partes æquas; unam ii, qui ho-  
spitium præbebant ſibi retinentes; alte-  
ram dantes ei, qui hospes fieri solebat:  
& si contigiffet de cætero, uti alter al-  
terius hospitium subiret, producentes  
diuidium tali renovabant jura hospi-  
talia.

Tales sunt binæ ex osse, annorum  
ſitu veluti petrefactæ, ſublutei coloris,  
junctæ, forma rotunda, & parte inte-  
riore hospitum nominibus inscriptæ,  
in museo amicissimi nostri Ioannis Ba-  
ptistæ Cafalii, nobilis Romani; cui  
plurimum debemus, & obsequium pe-  
renne de insigni humanitate, qua nos il-

*de Tesseris Hospitalitatis.* 107  
le prosequutus est, cum Urbani VIII.  
Summi Pontificis beneficentia Episco-  
patu Æmoniæ ornaremur.

P O L Y N I C E S  
A S C A N I O . F.

---

C L A P H Y R  
A N D R A E . M . I . F .

P O L Y N I C E S  
A S C A N I O . F .

C L A P H Y R .  
A N D R A E . M . I . F .

Ipsius vero hospitii symbolum, sive tesseram apud Lingones fuisse dexteram narrat Cornelius Tacitus Libro XVII.

Tesseræ Hospitali non immerito accensabitur, quam domestica plerunque suppeditavit necessitudo, Amatoria, in monumentis Danicis Libro XXVII. à Clarissimo Viro D. Olao Wormio virgulæ eroticæ titulo accurate descripta. *Bacillus*, inquit, est quadratus \* trium pollicum longitudine, latitudine tertia parte pollicis, latera quatuor characteribus insignita habens, ex pruno sylvestri, ut videtur, fabrefactus. Literas arbitratur esse amatorias, ita scriptas, ut amantium nomina peculiaribus intricata notis non omnibus sint obvia. Eas peculiari tabella delineatas ita legit ille:

*Bynaffa vuet kieresta mina aff  
Thenkeſol inde Landum.*

Latine sonant:

\* Hanc tesseram pag. 112. daturi sumus.

*Nomen*

Nomen meum novit amicissima mea  
Ex amoris hac tessera Landum.

Tesserulas insuper Comitiis adhibitas à suffragatoribus, dum honores distribuerentur, Varro testis de re rustica Lib. IIII. cap. v. *Cum hæc loquemur, clamor fit in campo. Nos athletæ comitiorum una, cum id fieri non miraremur, propter studia suffragatorum, & tamen scire vellemus quid eſet, venit ad nos Pantuleius Parra.* Narrat ad tabulam, cum diriberent, quendam deprehensum tesseralas conjicientem in loculum, eum ad Consulem tractum à fautoribus competitorum.

Sortitionis hanc fuisse speciem non obscurum est ex eodem Lib. cap. XVII. *Latis tabulis sortitio fit Tribuum, ac cœpti sunt à præcone renunciari quem quæque tribus fecerint aedilem.*

Theatralem non inconcinne dictam censeo tesseralam munus, cuius frequens in ludis mentio. Sic de Ludis Stellæ Martialis Lib. VII. Epigr. LXXVII.

*Nunc veniunt subitis lasciva numis-  
mata nimbis:*

*Nunc dat spectatas tessera larga fe-  
ras.*

Nimirum ludos tam celebres fieri jussit in gratiam Principis Stella, ut tesseræ ligneæ, aut sphærulæ è loco superiore in theatrum & propalam spargerentur, quibus signa inscripta erant ferarum, vel aliarum rerum, quas editor cupiebat populo largiri. Tesseras autem, seu globulos populus rapiebat, cum jaçtarentur, & quod quisque in tessera signum habebat, illud accipiebat ab Imperatore: ut si tesseræ esset inscriptus cervus, equus, domus; domum, equum, cervum à Cæsare, vel munerario accipiebat, ut auctor est Dion Lib. LIX. & LIX. tesseras ejusmodi globosas eruditissimus Joannes Galvanus I. C. & Professor publicus Patavinus aliquando vidit.

Huc faciunt tesseræ spectaculis de-  
stinatæ, cujusmodi elegantissimam,  
vidi-

vidimus ex osse tesseram apud Joannem Rhodium , quam ad ludum gladiatorium excogitatam significat fuscina cum palma , cui servile nomen gladiatoris jam rude donati , verius ad spectaculum , quam ad pugnandum conducti esse inscriptum loquitur res ipsa :

PILOMVSVS. PERELI

Adversa parte :

SPECTAVIT.

Binas hujus generis tesseras mihi communicavit humanissimus & nobilissimus Vir Cassianus à Puteo Eques , quarum utraque spectatorum nomina tempusque ludi refert , altera vero etiam Consulis titulo insignita .

MANLIUS

MARTIALIS.


SP. K. IAN.

TI. C. T. P. CAELEST.

Α Β Κ Λ Κ Κ Κ Κ Χ Ι  
β κ τ ρ κ η ι ι γ ρ λ Τ

τ Ρ β Φ κ Κ Η Ι Α Γ  
ε Κ Ρ Φ Σ Ζ Ζ Ι Ρ Η Υ

PILOMVS. PERELI  
SPECTAVIT



*de Tesseris Hospitalitatis.* 113

M A N L I V S  
MARTIALIS  
S P. K. I A N  
T. C A T I O. P. C A E L E R.

---

F A V S T V S  
A N T O N I  
S P. K. A P R  
M. L E P. L A R R. C O S.

FAVSTVS  
ANTONI

SP. K. APR  
M. L E P. L A R R. C O S

Hujus

Hujus etiam generis eruditio Anto-  
nii Augustini de Nummis opere \*  
Dialogo 11 delineantur.

Quæ autem viri est in augendis li-  
teris ornandisque amicis voluntas exi-  
mia, libro jam typis descripto, hujus  
ordinis vitream fulvi coloris addidit  
aliam, qua spectaculi fortassis argu-  
mentum literis tam Romanis exhibe-  
tur, quam Græcis; nimirum F E R V S  
S C Y T H A, sive Thrax: ad eorum sine  
dubio temporum rationem, quibus  
variis gentibus urbs florentissima pa-  
tebat. Hoc enim videtur indicare  
A R T A C C E I A Ω : quod charactere  
Romano rudior artifex ARTAS, &  
&

\* Tesseris has in editione Antverpiensi frustra que-  
siveris, quales autem illas in editione Italica qua Roma  
anno M. D C. L. prodit invenimus. tales tibi hic eas  
damus. Harum quo medium obtinet locum sic legitur  
à Fulvio Ursino. Philodamus Dosseni ante diem  
decimum Kalendas Novembres spectatus M. Teren-  
tio, C. Cassio. ex quibus reliquias duæ facile est intel-  
ligere: Nimirum id sibi volunt. hunc talem gladiato-  
rem tali die & Consule ultimum sui spectaculum de-  
disse. & rude donatum esse. Erat autem rudis tessera  
quædam eburnea. cui nomen gladiatoris atate emerit  
inscribatur, quam qui accipiebat, is ab omni pugnan-  
ti necessitate eximebatur.

FELIX

MVNDICI

S P K AFR

C SENTIO

PHILODAE DOSSE

A D X K NOV

S F E C T

MERENCCAS

PILARGVRVS

LVCILI

S P A D VII ID AFR

CN P O M C R A

116 I. P. TOMASINVS

& t, similitudine deceptus, minus  
recte expressit. Nec alia ratione HER-  
CVLES FVRENS. HERCVLES  
OETAEVS, TROAS, Senecæ alio-  
rumque Comicorum Inscriptiones  
plurimæ, vel nostri seculi consuetu-  
dine oculis rem totam chartis passim  
affixis subjiciunt. Verum de hoc eru-  
ditiores amplius cogitent, nobis id con-  
jecisse satis est. Mihi sane non disipli-  
cat interim doctissimi Viri Lucæ Hol-  
stenii sententia, tesseram hanc Sy-  
rorum aliorumque Orientalium fuisse  
populorum, qui Romæ clandestina sa-  
cra peragebant.




Ejus-

*de Tesseris Hospitalitatis.* 117

Eiusdem ordinis aliam apud Franciscum Angelonum Virum Clarissimum, & antiquitatis optimum astimatorem, ex ebore quadrilateram, Romæ in ejus nobilissimo museo, conspicere licuit, in qua SP. vetustate detritum.

D E M E T R I V S  
F A D E N I  
D. L E N T. M. M E S. C O S.  
.... K. IVN

Con-



Convivales etiam fuisse tesseras li-  
quido constat ex Ælio Lampridio  
cujus hæc sunt de Antonino Helio-  
gabalo : Sortes sane convivales scriptas  
in cochlearibus habuit tales, ut alius ex-  
hiberet decem camelos, alius decem mu-  
scas,

scas, aliis decem libras auri, aliis decem struthiones, aliis decem ova pullina, ut verae sortes essent & fata tentarentur: quod quidem & ludis suis exhibuit, quum & ursos decem, & decem glires, & decem lachanas, & decem auri libras in sorte habuit. Primusque hunc morem sortis instituit quem nunc videmus. Sed vere ad sortem scenicos vocavit, quum & canes mortuos, & libram bubulae carnis haberet in sorte; & item centum aureos, & mille argenteos, & centum folles aeris, & alia talia, quae populus tam libenter accepit, ut eum postea imperare gratularetur.

Tesseram tandem Lusoriam, cuius antea memini, à talis nihil diversam ostendit Martinus Delrius Com. Herc. Fur. De his Ovid. Lib. 11. artis amat.

Seu ludet, numerosque manu jactabit  
eburnos;

Tu male jactato, tu bene jacta dato.

Et Martialis Lib. xiv. Epig. xv.

Hic

*Hic mihi bis-seno numeratur teſſera  
puncto:*

*Calculis hic gemino diſcolor hoſte  
perit.*

Jaciebant porro hoſte talos in fri-  
tillum, id est firmum pyrgum, turri-  
culam, orcam, vel pyxidem corneam.  
Qualem vidi in museo Equitis Fran-  
cisci Gualdi Romæ ex ære. In hunc  
ſenſum D. Auguſtinus de Civiitate Dei,  
introducens ædituum ludentem tefſe-  
ris pro ſe & Hercule, ita ut una vice  
pro ſe luderet, & alia pro Hercule; & ſi  
Hercules lucraretur, promittebat de  
pecuniis ſuis copioſam parare cœnam  
Herculi, & illi nobile ſcourtum addu-  
cere. Si vero ipſe lucraretur, vincens  
Herculem, de expenſis templi ipſi cœ-  
nam & ſcourtum deberet. Plana in  
hanc ſententiam Julii Capitolini ver-  
ba in Ælio Vero: *Post convivium lu-*  
*ſum eſt tefſeris uſque ad lucem.*

Sed & contractibus peculiares Mer-  
catorum tefſeræ erant. Quem modum  
nunc

nunc Mensarii observant, qui vulgo *Banchieri*, ut possint, tesseris ostensis, mercaturam in alienis regionibus exercere. Huc facit Iulius Pollux Onomastici Lib. ix. cap. vi. Rodolpho Gualthero interprete: *Symbolum tenue quoddam numisma, semisecta scilicet nummi pars, parvi admodum precii: quo videntes & emtor comprehenduntur & confirmantur.* Pollucem notat quidem Isaacus Casaubonus, quod symbolum non sit certæ pecuniæ nomen, sed annulus, aut quidvis aliud arrhae loco. At vero Pollux non ait pecuniæ nomen, verum symboli loco nummum fuisse divisum. Annulus autem tesseræ convivali magis accedit, quoties ea communi sumptu paratur; veluti ex Terentio notum est: quod etiam in Athenæo Lib. iii. cap. xxxi. animadvertisit Casaubonus ipse.

Tesseræ autem in contractibus usus loco pecuniæ etiam Symbolum dicebatur. Quod inter Iurisconsultos ita definit Constantinus Harmenopulus

Lib. 1. Promtuarii Iuris Civilis, titulo octavo. *Symbolum est commentarium, seu descriptio conventorum & contrahentium, sive pactorum, inter se mutuo contrahentium & convenientium.* Mistione enim voluntatum personarumque convenientiunt & contrahuntur Symbolæ: & hæc conventio, seu pactum vocatur: quidque de ea re sit scriptum nominatur Symbolum. Symbola itaque jure dicta sunt pacta inter diversos populos, quibus totum jus commercii inter ipsos continebatur. Cujusmodi sunt explicatæ operis initio tabulæ.

Symbolum apud varios authores etiam pro eo sumitur, quod loco pecuniae tradebatur, nec enim ea semper parata exhibebatur. Veteres etiam, ut ait Isidorus, quando aliquid sibi promittabant, stipulam tenentes frangebant, quam iterum jungentes suas sponsiones agnoscebant. Vnde saepius idem quod Tessera.

Symboli autem diversi sunt modi.  
Plau-

Plautus imaginem ceræ impressam,  
& in similem usum relictam symbo-  
lum intelligit: idque genere mascu-  
lino. Sic enim ille in Pseudolo, act. 1.  
scena 1.

*Ea causa miles hic reliquit symbo-  
lum*

*Expressam in cera ex annulo suam  
imaginem,*

*Vt qui huc afferret ejus similem sym-  
bolum,*

*Cum eo simul me mitteret.*

Idem in Bacchidibus act. 11. scen. 111.

*Eo præsente homini extemplo ostendit  
symbolum,*

*Quem tute dederas ad eum, ut ferret  
filio.*

Alii Symbolum dicunt, ubi suam  
quisque escam ad commune convi-  
vium, aut particulam, aut æs con-  
fert. Qua similitudine quidam Sym-  
bolum Apostolorum dictum arbitran-  
tur, quod quilibet eorum suum fidei

articulum , ut vocant , contulerit , ve-  
luti hodie amici , dum aliquid conser-  
tur , Symbolo petuntur . Quod ad lo-  
cupletiorem hujus vocabuli intelli-  
gentiam addo , non ut istorum opinio-  
ni subscribere videar . Nec aliter in-  
telligendum Terentii illud ex Eu-  
nucho , Act. III . Sc. IV .

*Heri aliquot adolescentuli coimus in  
Tiræo*

*In hunc diem , ut de symbolis esse-  
mus.*

Symbola enim tesserulæ sunt , quæ  
quisque Symposiarchæ dabat , quo  
tanquam sigillo & pignore fidem  
suam obstringebat , ad condic tam cœ-  
nam , die , hora que certis venturus , &  
onus impensarum latus . Hinc Plau-  
tus in Sticho : act. III . Sc. I .

— eo condixi , in symbolum  
*Ad cœnam.*

Et postea suo more ludens , facit ser-  
vum

*de Tesseris Hospitalitatis.* 125

vum dicentem amicam suam symbolam pro se daturam.

*Eadem (inquit) symbolam dabit.*

Dabantur & symbola hospitibus.  
Euripides in Medea :

*Hospitibus mittere symbola, ut tibi benefaciant.*

Nimirum xenia & munuscula hospitibus dari solebant. Ita Iason Medeam rogar, ut de thesauris ea sumat, quibus conciliet sibi amicos, cui usui non raro conferebat annulus. Vnde pro symbolo etiam veteres Grammatici exponunt. Amicos autem peregre abeuntibus imaginem suam donasse indicat Seneca Epistola x l. quam si ne dubio circumferebant in annulo. Quod de Boccacio & Petrarcha olim in literas retulimus. Scribonius Largus Compos. c LXXII. refert se pro magnō munere ab hospite suo Zopyro, Gordiense Medico, hydrophobiæ remedium accepisse. At similitudine

Symbola quoque dicuntur signa occultarum & sacrarum rerum. Quo significatu Dionysius Areopagita. *Dicimus autem quid aliorum symbolorum sancti primi patres, &c.*

Symbolum item augurium, signum, seu vaticinium significat genere masculino.

Tesseris hisce merito accensetur PAGANICA, cuius nulla in hunc diem fuisset notitia, nisi eam priscæ eruditio[n]is condus Lucas Holstenius, D. Petri Canonicus, pro singulari humilitate sua, quum operæ extremam addidisse manum, nuper è monumento, quod Fulginii est apud amicum, Roma submisisset. Tabula vero est ænea, tres uncias alta, quinque ferme lata: cui superstat feminæ vultus. Quam hoc loco integrum eo libentius exhibeo, ut antiquitatum cultores perspiciant, quam religiose tesseræ fuerint institutæ.

TESSERAM. PAGANICAM  
L. VERATIVS. FELICISSI  
MVS. PATRONVS. PAGANI  
S. PAGI TOLENTINES  
HOSTIAS. LVSTR. ET. TESS  
ER. AER. EX. VOTO. L. DD  
V. ID. MAS. FELICIT.

Libertum vero fuisse L. Veratium  
suspiciari licet ex alio monumento,  
quod Romæ vidit Smetius L. VERA-  
TI FELICIS memoria conspicuum.  
cui forsan cum Tolentino municipio  
commercium fuit, quod hostiis ac  
voto Tesserae adhibitis ad majorem fi-  
dem stabilivit.

## C A P. XVII.

*Hospitalitatis securitas & im-  
munitas.*

**N**ec solum Hospites humaniter excipiendi & tractandi , verum etiam ab aliorum vi , atque contame- liis acriter sunt defendendi : quod ipsum quoque Homerus docet. Sic Telemachus cum Minervam hospi- tio excepisset , separatim illi epulas instruxit , ut ne quid illi à procis mole- stiæ exhiberetur. Quam de Vlysse pa- tre suo sibi ignoto idem solitus fue- rit , ne convitiis impeteretur à procis , facile indicat , dum illum jubet apud Eumæum pastorem commorari.

Sic Troia capta Antenori & Aeneæ à Græcis libera in aliis terris hospitii commoditas permittitur , Livius mili testis : *Iam primum omnium satis con- stat , Troia capta in cæteros sævitum eſe Trojanos ; duobus Aenea , Antenore- que & vetusti jure hospitii , & quia pacis,*

*de Tesseris Hospitalitatis.* 129

*pacis, reddendæque Helenæ semper autores fuerant, omne jus belli Achivos abstinuisse.*

De Germanis Cæsar Com. Lib. vi.  
*Hospites violare fas non putant; qui qua-  
que de causa ad eos venerunt, ab injuria  
prohibent, sanctosque habent: ius omnium  
domus patent, virtusque communicatur.*  
Ista igitur priscis Germanis cæteris-  
que Celtis, unde religio, nisi ex eodem  
fonte, ex quo Lotus hauserat; satius  
esse filias virgines improborum illu-  
sionibus, atque injuriis objicere, quam  
peregrinos hospites. Vnde etiam non  
modo Celtis, sed & aliis gentibus ho-  
spitum corpora fuere sacra. Hospitii  
jus minime violandum suo docuit  
exemplo Lycaon, qui cum hospitio  
susceptos advenas necasset, suscepto-  
que Iovi epulas humanas apposuisset,  
in Lupum mutatus fuit.

## C A P. XVIII.

*De conviviis quibus hospites excepti : ubi de tricliniis, de mensa, & sella hospitali ; item de coronis.*

**C**Vm Hospites iam ablutis pedibus mensæ admovebantur, ipsis aqua abluendis quoque manibus affundebatur, sed frigida. Calida enim pedibus, frigida manibus dabatur. Vnde cum Hercules apud Oeneum cœnaret, & Eunomus puer illi manibus aquam calidam infudisset, quæ pedibus infundi debuerat, præpostero officio iratus, sive ludibundus Hercules talitro, complicato in ictum digito, eum interfecit; quod Scholiaſtes in Trachiniis Sophoclis recitat. Cæterum in lectis collocati manus lavabant. Hinc in marmoribus accumbentibus præsto sunt servi cum malluvio & aqua. Deinde unguenta barbae dabantur & capiti.

Para-

Parabantur autem Triclinia vel è simplici ligno, vel pretioso, aut testudinum sectis laminis, ebore, argento, atque auro ornata. Lecti appositi summa pompa, supra quos interdum unus ex hospitibus vel duo cubabant. Mensæ itidem, eodem splendore fabrefactæ, rotundæ vel quadratæ erant, supra quas mantilia injiciebant. Dabaturque eis vestis cœnatoria, sive convivalis. Quomodo in marmoribus Romanis qui in lectis accumbunt, aut seminudi, aut unica tantum veste tecti videntur. De hac procul dubio Horatius Sermon. Lib. II. Satyra VI.


— *purpurea porrectum in veste  
locavit*

*Agrestem.*

Ne igitur pretiosam vestem, stragulum lutulentis aut sordidis calceis inquinarent, soleas deponebant. Item calceos soccosque, ex Most. Plaut. sc. 2. act. 1. In marmoribus Romanis convivis accumbere parantibus à servis soleæ de-

F 6 muntur.

In 2ridario Cardinalis  
Nonnalti



# ACCUBITVS



muntur. Hospites in medii lecti ultimum locum, tanquam in dignorem collocabant. Tunc ministri tricliniares obsonia ferebant.

Ministrabant autem pueri & \* pueræ, nunc à lateribus, nunc à pedibus; nam triclinia in medio cœnacionum sternebantur. Erat hic Structor, qui obsonia scindebat, erant Eleatri, Pinçernæ, aliaque ad ornatum convivii.

In solennibus autem conviviis ferula coronata fuisse constat Athenæo auctore, lib. v. in iis ludis quos apud Daphnen Antiochus edidit; fuerunt

con-

\* De Pueris & puellis ministrantibus præter marmor quod tibi hic dedimus, insignis locus apud Virgilium Aeneidos 1:

*Quinquaginta intus famulæ, quibus ordine longo*

*Cura penum struere, & flammis adolere Penates,*

*Centum aliae, totidemque pares atate ministri,*

*Qui dapibus mensas onerent, & pocula ponant.*

Seneca libro 1. de tranquillitate vita, cap. 1. *Tres* stringit animum apparatus alicuius pedagogii diligenterius, quam intra larem vestita, & auro culta mancipia. & agmen servorum nitentium. Suetonius in Tiberio: *Sexto*, inquit, *Claudio libidinoso ac prodigo seni cœnam ea lege condixit, ne quid ex consuetudine mutaret, aut demeret. neque nullus pueris ministrantibus cœnaretur.*

\* It  
letitiae  
que fid  
bant,  
tuerent  
cujus h

convivia, in quibus exhibiti sunt vivi  
anseres, lepores; damæ cum aureis co-  
ronis. Qui ferculorum luxus, quan-  
doquidem dispositus fuit per nomina  
cœlestium signorum. Quippe singulis  
impositus fuit cibus unicuique conve-  
nientissimus. Petronii locus est. *Re-*  
*positorium rotundum duodecim habebat*  
*signa in orbem disposita; superque pro-*  
*prium, convenientemque materiae Stru-*  
*ctor imposuerat cibum; superque Arie-*  
*tem, cicer arietinum; super Taurum, bu-*  
*bale frustum; super Geminos, testiculos ac*  
*renes; super Cancrum, coronam; super*  
*Leonem, sicum Africanam, &c.*

Accedebant ad convivii apparatum  
coronæ, \* quæ ex rosis, vel floribus  
contextæ, caput hospitum exorna-  
bant, in gaudii & lætitiae signum. Quæ  
postea coronæ convivales factæ sunt  
auræ

\* Ita est, genio indulgentes Romani, in signum  
lætitiae coronas capiti aptabant: sed si Athenæo aliis-  
que fides, nonnulli easdem collo, alii brachiis apta-  
bant, ut interceptis vaporibus ebrietati modum sta-  
tuerent. Affirmat id ex antiquo marmore Lipsius  
eiusmodi hic subiectum exemplar est.

aureæ & gemmatæ, talesque pro dignitate discubentibus, & cuique pro meritis & fortuna datæ, videlicet, minores aut majores, leviores aut ponderosiores. Quod sane discrimen probe intellexit Piso superbus, vix Tiberio cedens, nedum Germanico. *Eius enim audita est vox in convivio* (inquit Tacitus Lib. i i. cap. LVII. Annal.) cum apud Regem Nabatæorum corona aurea magno ponde-  
re Cæsari & Agrippinæ, leves sibi & cæteris offerrentur, principis Romani, non Parthi Regis filio eas epulas dari, abjecitque simul coronam, & multa in luxum addidit. Luxus coronarum no-  
tatus in convivio Ptolomæi Philadel-  
phi, ex Athenæo Lib. v. Nam quæ ali-  
bi vix ad unicum coronæ contextum  
potuissent, ibi ingenti copia congesta  
sunt in eas coronas, quæ singulis con-  
vivis datæ. Ipsarum quoque corona-  
rum tanta copia, ut humi sparsæ præ-  
buerint speciem prati gemitantis.

Indorum, qui apud Regem epula-  
rentur, mos fuit, ut essent coronati. sic  
Apol-

Apollonius ab Rege hospite suo  
ad locum convivii, ut solent  
Indi, deductus fuit. Nec tantum ho-  
spitibus præsentibus tales coronæ in  
conviviis dari solitæ, sed si quando  
magnus hospes tectis excipi non po-  
terat, ei nihilominus mittebantur; ac  
tunc censebantur inter HOSPITA-  
LIA DONA οὐα φίλοι ζεῖνος ζείνονται διδούσθιν.  
qualia amici hospitibus dant.

Certe tanto luxu neceti cœperunt  
hæ coronæ, ut tandem factæ sint do-  
na Regum. Hujus generis fuerunt il-  
læ, quas Persæ miserunt ad Agesilaum.  
De hoc genere forte fuit circulus ille,  
sive torques aureus circa collum, quem  
Rex Ægypti Josepho dedit, præter re-  
gium annulum & sacram vestem.

Ex iis coronis sibi quisque ab ho-  
spite donatam aut capiti aut cervici  
imponebat. Neque enim, inquit Plu-  
tarctus, Symposiacon 11. convivis di-  
stribui debent, sed æquum est hanc  
sibi unumquemque sumere, quæ sibi  
sit complacitura. Interdum hæ pecto-  
ri

138 I. P. TOMASINVS  
ri applicabantur, quæ est sedes cor-  
dis. Ovidius :

*Ecce nurum Regis fusis per colla co-  
ronis*

*Inveniunt posito pervigilare mero.*

Hæ coronæ cumulabantur unguen-  
tis : idest aut ipsum hospitum caput  
conspargebatur & humescet un-  
guento, aut ipsæ coronæ, aut caput  
tantum, non item coronæ. Sidonius  
Apollinaris.

*Et madescentes nardos capillo  
Circumfusa florum ferta siccarent.*

Sic Horatius lætatur se huic voluptati  
indulsiſſe cum Pompeio Varo Lib. II.  
Carm. Od. 7.

*Pompei meorum prime sodalium ?  
Cum quo morantem ſæpe diem mero  
Fregi, coronatus nitenteis  
Malobathro Syrio capillos.*

Accessit Abydenorum mos, ex quo  
proverbiū, ἀβύδνον θηρόμυχ. Hi nem-  
pe cum quempiam hospitem convi-  
vio

*de Tesseris Hospitalitatis.* 139

vio excipiunt, post unguentum & corona circumferunt infantes ad osculum. Observavit quoque Plinius Lib. xiiii. cap. iii. non solum caput, sed etiam pedes quandoque fuisse unguentis illitos : *Vidimus etiam vestigia pedum tingi : quod M. Othonem monstrasse Neroni principi ferebant.* Quæso ut qualiter sentiretur, juvaretque ab ea parte corporis?

Cæterum hæc jucunditas & lætitia ad hospites exhilarandos cumulabatur hilaritate cantuum. Hinc cœna qualibet agresti convivales ilias qualescumque delicias diutius extendeant. Quippe Propertius Libro iv. Eleg. vi.

*Ingenium potis irritat Musa poëtis.*

Et Horatius Lib. ii. Epist.

---

*pueri patresque severi  
Fronde comas vincit cœnant, & car-  
mina dictant.*

Unde Socrates apud Platonem describens

bens epulas, quæ celebrantur in urbibus : *Convivia agitabunt ipsi & ipsorum liberi? Vino indulgentes, coronati, & in Deorum honorem hymnos canentes, & alii cum aliis suaviter conversantes?* Hunc cantum prisci Græci ~~canerent~~ vocabant, nempe propter obliquum circuitum & positum lectorum, de quo legendus est Clemens Alexandrinus pædag. Lib. II. cap. IV. Ex quo more apud Græcos natum proverbium. *Canere ad myrtum.*

Introducebantur etiam Psalmi & Tibicines. Item cantibus inferebantur fabulæ simplices & convivales : etiam laudes hospitum canebantur, vel præclarissimorum virorum.

Sic etiam hospitiis festa & ludos proponebant. Homerus hoc observat in Ulyssie & Alcinoo in Odyss.

C A P. X I X.

*De loco hospitum in mensa.*

P Olitiorum ingeniorum curiositate dignum, quo loco prisci hospites cœnantes collocarent. Gellius Libro 1. cap. xiiii. id egregie insinuat, ubi officiorum gradus & ordines. Conveniebat autem facile, constabatque ex moribus populi Romani, primum juxta parentes locum tenere pupillos debere, fidei tutelæque nostræ creditos: Secundum eos proximum locum clientes habere, qui sese itidem in fidem, patrociniumque nostrum dediderunt. Tunc in tertio loco esse hospites; postea esse cognatos affinesque. Massurius autem Sabinus in libro Juris Civilis 111 apud Gellium, antiquiore locum hospiti tribuit, quam clienti. In officiis apud majores ita observatum est, primum tutela, deinde hospiti, deinde clienti, tum agnato, postea affini. Heraclides in Politicis, Cretensium hospitalitatem commendans alium

alium ordinem describit. Eorum quæ in conviviis apponebantur partem peregrinis & hospitibus primam dedisse, post hospites principi quatuor portiones præbuisse, unam quam etiam reliquis, alteram principalem, tertiam familiæ, quartam utensilium.

Lecti autem sternebantur in Tricliniis varia forma, sed plurimum quadrati, paulo longiores statura hominis; ita lati, ut quatuor, aut quinque in eis commode cubare possent. Quamvis autem forma varia essent, in eodem tamen triclinio pares erant omnes. Medii autem lecti ultimus locus apud Romanos dignior fuit, quem medium locum, ut præcipuum, dominus convivii occupabat. Sic Virgilius de Didone Aeneid. I.

---

aulais jam se Regina su-  
perbis  
Aurea composuit sponda, mediumque  
locavit.

Pom-



pag. 143



Po  
dem  
C  
vafle  
rem  
eius  
ria &  
res  
inte

D  
H  
litas  
VII  
rus f  
tes, q  
temp  
runt.  
Mor  
Ody  
Im

Pomponius Mela notat Scythis eadem fuisse consuetudinem.

Quem Romanorum modum servasse verisimile est Christum Servatorem nostrum, non minus ac reliquos ejus gentis ritus, cui tunc parebant Syria & Palæstina. Unde concinne pictores ipsum in medio triclinii extrema inter Apostolos cœna locant.

C A P. XX.

*De cultu mulierum in hospites.*

**H**omeri tempore puellas & mulieres hospitum pedes lavare soletas, observavit Athenæus Lib. I. cap. VIII. Gymnosoph. Introduxit Homerus pueras & mulieres, quæ lavant hospites, quasi neque inflammationem, neque intemperantiam patiantur, quia bene vixerunt. Antiqua autem hæc est consuetudo. Moris hujus mentio apud Homerum Odyss. III.

*Interea Telemachum lavit pulchra Polycarte.*

Item

Item Libro vii. de Ancillis Menelai.  
Addo virgines non solum lavisse, sed  
ablutos unxisse pretiosis unguentis.  
Idem Odyss. iii. *Porro postquam lavit,*  
*& unxit pingui oleo.* Petrus Nannius  
Miscellan. Lib. iv. cap. ii. tam reli-  
giosos olim Gentiles in excipiendis  
hospitibus indicat, ut etiam Regum  
filiabus honestum fuerit hospites in  
balneis lavare. *Certe olim insignem fuisse*  
*apud Gentiles pietatem in hospitibus ex-*  
*cipiendis, vel inde patet, quod honestum*  
*sit habitum, si filiae Regum hospites in*  
*balneis lavarentur;* ut non uno loco apud  
Homerum invenimus. Justinus Lib. vii.  
*Tignus esse & fædus hospitii* indicat  
apud Persas, si filii & uxores in con-  
vivium hospitibus adhiberentur. Et Mar-  
cus Polus scribit, in Provincia Cham-  
mus, mulieres cum hospitibus cuba-  
re, quod id gratissimum conjuges Diis  
existimant. Et in Halicarnasseo legi-  
mus, Babiloniis esse legem omnibus  
modis execrandam. Nempe omni-  
bus mulieribus indigenis commune,  
semel

semel in vita ad Veneris Templum desidentibus, cum externis viris consuetudinem habere. Cæterum cum pleræque sint divitiis tumentes, quæ sui copiam facere recusent, hæ vehiculis cameratis subiectæ, pro Templo consistunt, relicta interim à tergo magna famulitii turba. Porro cum semel illic confederint, non prius domum regrediuntur, quam hospitum aliquis pecuniam mulieri in sinum injecerit, & cum eadem à Fano seorsum abducta consuetudinem habuerit. Hospitem autem illum, qui pecuniam obtulit, dicere oportet: *Tanti ego tibi Deam Militam imploro.* Neque mulieri etiam permittitur aliquem repudiare, sed quicunque is est, qui pecuniam objecerit primum, hunc illa sequitur, citra delectum. Postremo ubi jam congressa fuerit cum externo mulier, dein expiata domum revertitur.

Hunc morem abluendi apud Hebræos viguisse, ut virginis & puellæ servorum pedes lavarent & tergerent,

G patet

patet Regum i. cap. xxv. vers. xli.  
ubi vocata casta Abigail à servis David:  
*Ecce famula tua sit in ancillam, ut lavet  
pedes servorum Domini mei.* Ad quem  
locum pulchre Abulensis Quæst. xv.

In primitiva etiam Ecclesia mulie-  
res nobiles hospitibus suis manibus pe-  
des abluerunt. Vnde Paulus in i. ad  
Timotheum v. vers. ix. *Vidua eligatur  
non minus sexaginta annorum, quæ fuerit  
unius viri uxor, in operibus bonis testimo-  
nium habens, si filios educavit, si hospitio  
recepit, si Sanctorum pedes lavit.* In  
quem locum præter Theophilactum  
Ioan. Chrysostomus Sermone xiv.  
eleganter differit.

Christus itaque hospitio à Pharisæo  
receptus jure conqueritur Luc. vii.  
*Aquas pedibus meis non dedisti, hac  
autem lacrymis rigavit pedes meos, quasi  
cum argueret hospitalitatis veterem  
legem non observasse.* Vbi Diony-  
sius Carthusianus merito videndus.  
Abluit igitur Christi pedes Magdalena  
& unxit eos unguento.

C A P. XXI.

*Osculum Hospitibus accendentibus,  
& abeuntibus datum.*

**A** pud antiquos frequens osculandi usus fuit, qui pro veneratione & obsequio habebatur, immo fidei, observantiæ, amoris & amicitiæ symbolum erat. Idque sæpius in sacris literis tam veteris, quam novi testamenti manifestum. Ita Moyses Socero suo obviam progressus, seque incurvans, eum osculatus est Exod. xvi. 11. Esau fratrem suum Iacobum redeuntem ex Mesopotamia osculo exceptit Gen. xxxii. 11. Iacob salutat Rachelem osculo, Gen. xxix. Raguel Tobiam, Tob. vii. Iacob Patriarcha suos ex Iosepho nepotes, quos illi adduxerat, osculatus & amplexatus fuit, Gen. xlvi. 11. Luc. xv. Pater filio prodigo redeuenti osculum præbuit. Sic autem prisci Christiani osculo frequenter utebantur, pignore fraterni amoris &

benevolentia in Christo. Hinc D. Paulus ad Romanos cap. XVI. *Salutare invicem in osculo sancto.* Imitatus S. Paulum Ignatius Ep. VII. quæ est ad Tarsenses, inquit, *Salutare invicem osculo sancto.* Ita abeuntem Paulum procumbentes super collum Pauli osculabantur eum. Sic Abbates & Religioforum Rectores, cum discedebant ab his, quibuscum erat summa necessitudo, suis invicem pectoribus exosculationis multis cum lacrymis divellebantur. Ita Eunapius Sardianus in vita Proæresi, omnes ad ejus pectus lambendum, ut fieri solebat imaginibus, accessisse, aut ad pedes & manus corruiisse, narrat. Et apud Nicephorum Lib. v. cap. IIII. Leonides pater Originis, saepè pectus pueri nudatum cum veneratione osculabatur. Patrium morem fuisse Persis, eos osculari, quos honoribus prosequi vellent, inferiores vero salutando potentiorum genua tangebant, Herodotus Lib. I. Cognatos autem, ubi diutius absfuiscent,

sent, aut longius essent profecturi, se invicem osculari frequens usus erat. Ita Cyrus discessurus dicitur *cognatos per osculumoris ab se dimisisse*, lege Persarum, auctore Xenophonte Lib. 1. Pædiæ. Sic etiam pro more osculatus est Cyaxarem, cum ad se venisset.

Ita Principes Romani peregre profecturi, & mox Vrbem repetentes, more diu recepto, Senatores oscula soliti fuerunt accipere, ac proinde in Nerone notavit Suetonius Tranquillus: *Neque adveniens, nec proficiens, quemquam osculo impertivit, ac ne resalutatione quidem.*

Sic apud veteres primum manus, modo genua, modo vestes, aliquando magnorum virorum pectora & capita honoris & obsequii gratia osculabantur, Plutarchus in Vita M. Bruti: *Afsidentem C. Cæarem cinxerunt officii specie, omnes una orantes, manusque ejus tangentes, pectus & caput deosculabantur.* Ammianus Marcellinus Lib. xxvii i. meiorat, ex Senatoribus

150 I. P. TOMASINVS

quosdam salutari pectoribus oppositis cœpiſe, & osculanda capita in modum taurorum minantium obliquantes obtulisse.

Osculabantur autem frontem Veteres, tanquam Genio sacram, quod majestati affinius est, ut blandimentis genas suaviari.

Ne vero nimia familiaritate vilesceret illud humanitatis studium, ut refert Suetonius, Tiberius Cæsar quotidiana oscula prohibuit edicto.

Sed crescente adulazione, ad manus & vestes, ad genua, & tandem ad pedes devenere oscula. De C. Caligula Suetonius\*: porrexit ad osculanum sinistrum pedem auro & margaritis insignem.

Porro cum apud Persas adorandimos esset suos Reges, itemque apud Medos & Indos, ut Herodotus, Plutarchus in Alcibiade, & Valerius Max. Lib. vii. cap. 111. testatum reliquerunt, tandem quoque adorari expectivere Imperatores, ut de Caligula Sue-

\* Frustra hæc quæsiveris in Suetonio.

Suetonius cap. xxii. & Dion in ejusdem vita. Et de Diocletiano Pomponius, & Eutropius de Gestis Romanorum qui post triumphum de Persis actum adorari voluit, pedesque sibi osculari, auro & argento calceamenta exornans.

Quid vero mores Ethnicorum referam? Fuit initio veteris Ecclesiæ frequens etiam consuetudo osculandi, quam admirabantur Gentiles ipsi. Tertullianum de Oratione cap. xiv. audiamus, qui docet Christianos per actis precibus solitos invicem accipere osculum, quod vocat signaculum orationis: *Alia jam consuetudo invaluit, jejunantes habita oratione cum fratribus subtrahunt osculum pacis, quod est signaculum orationis.* Quando autem conferenda cum fratribus pax est, nisi cum oratio commendabilior ascendit, ut ipsi de nostra operatione participes jam audeant de sua pace fratri transigere? Hinc forsan in nostris Ecclesiis remansit singularis formula ad osculum sacræ imagini

152 I. P. T O M A S I N V S

imprimendum , P A X T E C V M .

In Belgio, Flandria, Anglia, Gallia, non tantum amicos , sed & hospites advenientes & discedentes osculantur mulierculæ , & puellæ etiam , & hi vicissim illas. Cujus consuetudinis nescii, si officium illud neglexerint , agricæstes, parumque culti existimantur.

Viget etiam Venetiis hic frequens osculandi mos inter Patricios , dum ad Comitia accedunt , & dum ab iis discedunt, mutui amoris ac pacis symbolo. Addo , quod osculum non nisi ejusdem conditionis hominibus conveniat , ut in hac sapientissima Republica etiam hoc sit veluti æqualitatis argumentum.

C A P .

C A P. XXII.

*De cultu veterum Iudeorum in hospites : ubi de insigne Abrahæ hospitalitate differitur.*

**V**T à sacris literis exordium duca-  
mus, vera hospitalitatis jura, ac  
illustrium virorum exempla, qui pe-  
regrinos & advenas, & inter hos  
sæpe Angelos invitarunt, in medium  
adferamus. Quis verò ignorat, ex  
iis Abrahamum hospitalitate cunctos  
superasse, immo veram hospitiī nor-  
mam nobis & omnibus splendide  
demonstrasse? Nullus enim tam be-  
nigne, tam prompte advenas & hospi-  
tes ad suas domus traxit, quam Patriar-  
cha Abraham, unde proverbium or-  
tum, *Abrahæ tabernaculum figere*, pro  
eo qui hospitium summa humanitate  
parat. Hujusmodi Patriarchæ in ho-  
spites studium & ardor, non aliter  
quam venatoris in exquirendis hospi-  
tibus depingitur à S. Chrysostomo, ho-

mil. xli. in Genesin: Tantopere curabat Abraham hospitalitatem, ut nollethorum venationem cuique committere. Et S. Ambrosius Lib. ii. Offic. cap. xxi. Abraham laudi est datum, qui ante ianuam suam speculabatur, ne forte præteriret peregrinus aliquis, & diligenter prætendebat excubias, ut occurreret, ut præveniret, ut rogaret, ne transiret hospes. Nimirum precibus tenebat hospites prætereuntes, compellabat ad mensam; ipse vero mensæ ministrabat. Quod sic explicat S. Petrus Damianus sermone cxxi. *Quare homines Abraham hospitando, Angelos recepit & Deum.* In quam sententiam S. Ambrosius Lib. ii. Offic. cap. xxi. Tanta autem est apud Deum hospitalitatis gratia, ut ne potus quidem aquæ frigidæ à præmiis remunerationis immunis sit. Vides quia Abraham Deum recepit hospitio, dum hospites querit? Vides quia Loth Angelos suscepit. Quid scis an & tu cum suscipis hospitem, suscipias Christum? cum in hospite sit Christus, quia Christus in

de Tesseris Hospitalitatis. 155

in paupere est, sicut ipse ait, in carcere eram, & venisti ad me, nudus eram & operuisti me. Quodnam enim hospitalitatis majus præmium? Mensæ ministrat tamquam servus Abraham, & vires ab hospitalitatis gaudio hauriebat. Verba namque sunt D. Chrysostomi Hom. xli. in Genesin. Mibi videtur præ gaudio alacritateque multa imbecillitate sua factus superior, & robur quoddam accepisse. Nec tantum necessariis recreabat hospites Abraham, sed etiam delitiis. Nam Gen. xxii. vers. xxxiii. plantavit nenus in Bersabea. Ad quæ verba Abulensis: Locus ille erat sine arboribus, ideo Abraham, qui delectabatur in suscipiendis hospitibus, plantavit arbores, de quarum fructibus recrearentur viatores, & eorum usu delectarentur. Hospites item non corporeo cibo tantum fovebat Abraham, sed etiam cibo spirituali, Gen. xxii. xxxiii. ubi Abulensis: ibi hospites ad laudandum Deum & gratias reddendas ei pro beneficiis invitabat.

Berisit Raba Rabinus Cap. LI. affirmavit, Abrahami domum quatuor ostia habuisse, juxta quatuor Mundi cardines, ut ex omnibus orbis partibus hospites exciperet, quibus descenditibus, non sibi, sed Deo gratias agerent, imperabat.

Abraham suo etiam exemplo studuit, filios suos in hospitalitatis operibus exercere, Genes. xviii. Tulerit inde vitulum. Nec aliunde hospitalitatem Loth didicit. Quantum vero profuerit Loth Abrahami in exercenda hospitalitate æmulum fuisse, explicat S. Paulinus Epist. ad Alethium, & S. Ambrosius Lib. II. Officiorum cap. xxii. Immo & Petrus Chrysologus Serm. xlvi. dum ait: *Gehennalem ignem evadit hospitalitatis sectator, & urbem in refugium accepit Loth, qui domum hospitibus exhibuit.*

Gedeonis hospitalitas extollitur, qui Angelo, quem prius invitarat, quique procul dubio hominis speciem referbat, sacrificium, hoc est magnificum

*de Tesseris Hospitalitatis.* 157

cum convivium adornasse scribitur.  
Nam & hædum caprarum coctum, &  
ex modio farinæ panes azymos con-  
fecit.

Hospitalitatis officia in adversis so-  
licitus repetit Iob cap. xxxi. v. xxxii.  
*Foris non mansit peregrinus, ostium meum  
viatori patuit.* Origenes in eundem:  
*Talis fuit B. Iob, apud quem hospes nun-  
quam foris mansit, cuius janua omni ad-  
venienti patuit, quem invalidi nunquam  
prætermiserunt, de iis quæ opus habue-  
runt: qui non dimisit pauperem exire de  
domo sua vacuum, ad cuius tonsuram  
ovium, omnium pauperum scapulæ cale-  
factæ sunt.*

Sed, quod majus est, Petri Damiani  
sententia, per hospitalitatem Abdias  
Prophetæ gratiam consecutus est Lib.  
III. Reg. XVIII.

Tobias insignis hospitalarius cele-  
bratur, quippe qui in tertio anno (ait  
scriptura) proselytis & advenis mini-  
straret omnem decimationem; & Angelo  
hospiti tertiam partem suarum rerum

G 7 offer-

offerret. *Profelytis*, hoc est qui ad Ju-  
daismum convertebantur, & *adve-  
nis*, id est peregrinis, decimas débitas  
administrabat. Tres autem erant de-  
cimæ, quas solvere jubebantur Judæi.  
Prima Levitis & Sacerdotibus Nume-  
ri xviii. Secunda in epulum sacrum  
conferebatur, cuius tum Levitæ, tum  
egentes participes siebant. Tertia, quæ  
solo tertio quolibet anno solvebatur  
peregrinis, pupillis, & viduis.

Salomon, tanquam sapientissimus  
Rex, mira magnificentia, & sumptuo-  
so apparatu peregrinis & adventanti-  
bus splendidas epulas apparari voluit,  
& ipsorum equis, camelis atque ju-  
mentis pabulum atque paleam submi-  
nistrabat, idque non in uno loco, sed  
ubicumque opus erat.

Inter mulieres hospitalitatem sectan-  
tes Rebecca enumeratur, vidua Sare-  
ptana, & Sunainitis matrona, aliæque  
in sacris literis commemoratae.

Atque ut tandem Hebræorum ho-  
spitalitatem brevi epilogo complectar;  
adeo

adeo hi à Patribus antiquæ legis in hospitalitatis cultum mirum in modum fuerunt edocti, ut etiam si post horrendum urbis Jerusalem, ac Templi excidium è patria sua extorres, & per totum dispersi, per aliquot secula vagam miseramque vitam persequuntur, mutuam inter se hospitalitatem adeo exercent, ut in hodiernam diem raro Judæum mendicantem videas.

C A P. XXIII.

*Hospitalitatis ratio, variis nationibus peculiaris, iisque cultioribus Græcis & Romanis.*

**S**Icuti Græci potissimum omnium fere liberalium artium atque virtutum moralium inventores & sectatores prædicantur, ac habentur, ita ab iisdem veluti cultioribus, omnia hospitalitatis officia profecta credimus. Quod nobis quidem insinuant, non solum varia & multiplicia nomina, adhuc

adhuc apud nos usitata, quæ ad hospitalitatis munera pertinent, sed plurima ejusdem gentis præcepta & exempla, quæ variis in auctoribus sparsim leguntur. Unus inter omnes heic palmarum tulit Homerus, qui omnia justa legitimaque hospitalitatis officia egregie nobis expressit. Odyssæa quidem Libro I. Telemachi erga Minervam hospitalitatem describit; Libro III. Nestoris & ejus filiorum humanitatem in hospites celebrat; Lib. IV. de Menelai hospitalitate in Telemachum & Pisistratum agit. Lib. V. docet quomodo Calypso cùm Ulyssèm naufragum, tum Mercurium à Diis ad se missum hospitio exceperit. Nec minorem in Iliade similium nobis exemplorum copiam suppeditat; immo nobis omnia officia ostendit. Erat apud Græcos munus publicum hospites & peregrinos excipiendi. Et ii, quorum munus erat, peregrinis, præsertim Legatis, ligna & salem & similia præbere, Parochi vocabantur. Ideo Ministeris

stris Ecclesiarum recte hoc nomen  
convenit, quia ipsi hominibus, qu  
hos pites & peregrini sunt in hoc mun  
do, mensam verbi Dei apponunt,  
& Sacramentum Eucharistiae admini  
strant.

Inter Græcos autem hospitalitatis  
cultores præsertim enumerantur Cre  
tenses, de quibus supra diximus. In  
quorum domo convivali binæ stra  
taræ erant mensæ *ξενικηί*, id est hospi  
tales dictæ, propterea quod hospi  
tes, qui aderant, iis primo asside  
bant. Ita hospitem *ομηλευτήσαντα*, hoc  
est ejusdem mensæ communione con  
junctum appellat. Post has mensæ  
erant repositæ; erant & sedilia hospi  
talia, & mensa tertia, quæ à dextra  
ingredientibus occurrebat, quam Jo  
vis hospitalis mensam & hospitalem  
vocabant. Quin etiam Heraclides eam  
Cretensium erga hospites humanita  
tem fuisse affirmat, ut ad Magistratus  
quoque gerendos illos sæpius voca  
rint. Simili consuetudine nostri Cives

Pata-

Patavini, cum olim penes ipsos omne  
jus esset, advenam summæ rerum præ-  
fecerunt quovis anno, qui in eos jus  
vitæ & necis haberet, & ab auctoritate  
hujusmodi Magistratum *Potestatem*  
appellarunt.

Megarenses & Corinthii de hospi-  
tialitate celerabantur; immo memo-  
riæ proditum est, illos, cum de impe-  
rio certaretur, captivos in bello velut  
hospites invicem humaniter tractasse,  
illosque sine pretio dimissos Dorixe-  
nos appellasse. Illis in cultu Jovis ξενος.  
Quare etiam milites cum hostibus ex-  
tra aciem familiaria jura servabant.

Celebris est Lacedæmoniorum li-  
beralitas in hospites. Unde Cratinus  
apud Athenæum Cœnæ, Copis dictæ,  
mentionem faciens, inquit:

*Vere ut ferunt, quivis potest ibi ad-  
vena*

*Convivium laustum, bonamque hinc  
Copidem*

*Qui acceſſerit, sumpſiſe &c.*

Item

Item in Æolo, quæ & ipsa fuit convivii Spartani species, Athenæus. Lib. iv. non incolis solum atque civibus, sed omnibus peregrinis hospitibus ad illam aditum patuisse. Neapoli inter Græcæ Republicæ Magistratus præbendis hospitiis fuisse Xenoparchos memorat Julius Cæsar Capacius, Historiæ Neapolitanæ Lib. i. cap. viii. Mitto cætera Græcanicæ hospitalitatis exempla, quorum ingens passim farriago. Melitenses barbari in mari Adriatico naufragos summa humanitate excipiunt, inter quos D. Paulus fuit, quem accenso igne, resocillarunt. Item Phasiani populi naufragium passis viaticum præbent, & rursus abnavigantibus tres minas dant. Heraclides in Polit. Et Xenophonte auctore lib. iii. & v. de Cyri expeditione Armenius Cyro ejusque exercitui xenia misit, & Trapezuntii Græcos hospitio acceperunt donis hospitibus datis bubus, farina, vino. Sinopenses quoque Milesiorum coloni iisdem farinæ medimnos

164 I. P. T O M A S I N V S  
ter mille, vini amphoras M D. & Hera-  
clienses farinæ medimnūm M M M. Vi-  
ni amphoras M M. Boves x x. Oves c.  
Xeniorum loco miserunt.

Nec parcior apud Romanos hospi-  
talitatis cultus, quam Græcorum, &  
cæterarum gentium; quarum cum im-  
perio non modo artes & disciplinas  
in urbem, sed una mores & consue-  
tudines invexerunt: immo ipsi ex pe-  
regrinis & advenis undique confluen-  
tibus in unum coaluerunt, adeo anti-  
qui hospitii jura merito præ cæteris  
observarunt. Inde Roma omnium pa-  
tria dicta est, teste Athenæo Libro I.  
cap. II. Nam primo ut apud Græcos,  
ita apud Romanos erant publica &  
privata hospitia, ut hospitii necessitudo  
non modo inter privatos, sed inter po-  
pulos & Senatum contraheretur. Im-  
mo Romæ externis & peregrinis Ma-  
gistratus dabatur Regius, Consularis  
& Prætorius, ut Numæ & Tarquinii  
temporibus: Consules multi externis  
sub Imperatoribus, ut de L. Arruntio

Stella

Stella Patavino supra differuimus, aliisque peregrinis & advenis viris. Itemque postquam Imperium Romanum creverat, Prætores duo creabantur, unus qui civibus, alter qui peregrinis jus diceret. Vnde ille Vrbanus, hic Peregrinus vocatus. Quod factum fuit Anno conditæ Vrbis **DXII.** De Prætore Peregrino inscriptio est vetustate mutila ad vicum Kornesd. Vlpiæ proximum, juxta facellum.

C. CVRT .....

OLLIVS. TROGVS .....

IARVM. CVRANDARVM..

QVAESTORI. VRBANO ...

INTER. TRIBVNICIOS. ADIV. DAD....

PRAETORI. PEREGRINO. IIIIII. VIRO...

Et de eo qui inter peregrinos & cives jus diceret, extant prolixissimæ tabelæ in magno Gruteri de Inscriptionibus Opere, quas brevitatis studio hic omisi.

Ad hæc exteræ gentes & Transalpinæ nationes Senatorum jura in Vrbe habuere,

buere, & inter Senatores admitteban-  
tur. Primi Hædui fuerunt ex Corn.  
Tacito Lib. xi. in oratione Claudii  
Cæsaris, *Primi*, inquit, *Hædui Sena-*  
*torum in Vrbe jus adepti sunt. Datum*  
*id fœderi antiquo, & quia soli Gallorum*  
*fraternitatis nomen cum populo Romano*  
*usurpant.* Immo miro liberalitatis  
exemplo Tusculanos, Æquos, Vol-  
scos, Hernicos, bello victos, post victo-  
riam civium numero Romani adsci-  
vere in tutelam, & veluti patroni,  
clientes in fidem accepere, cognatio-  
neque & hospitio juxxere. Deinde  
temporibus latius hoc jus propaga-  
tum, ut in jus Latii & fraternitatis  
Romanorum ex Hispania, & ex toto  
orbe terrarum Viros claros adjun-  
ixerint. Sic Claudio Cæsar omnes  
Græcos, Gallos, Hispanos, Britan-  
nos, Sauromatas, civitate donavit, &  
togatos videre statuit. Quin etiam  
non modo in jura Civium, sed in Im-  
perium sæpe externos Romani adsci-  
verunt. Primus enim Trajanus exter-

nus,

nus, deinceps alii ad Imperium promoti fuerunt.

Quanta porro erga advenas quosvis Romanorum fuerit humanitas, inde quoque intelligitur, quod peregrinum antiquitus, teste Cicerone, Varrone, atque Festo, hostem apellarint, ab hostiendo, ut nonulli volunt, hoc est æquando, propterea quod inter cives & peregrinos beat esse æqualitas: ut fileam quæ de Legatis memoravi, quæque de hospitiis contrahendi ratione Zanchus in Com. Sallustii, quum singula heic persequi arduum, & immensum foret. Vnum tantum addam ex Plutarcho in Vita C. Giacchi, quod Cornelia ejus mater fuit, οὐα φιλοξενίαν εὐτράπεζον quod Xylander reddit: ob hospitalitatem patebat mensa ejus.

## C A P. XXIV.

*De reliquarum gentium, & præ-  
sertim Germanorum & Gallo-  
rum hospitalitate.*

**A**lli quoque populi in hospitalita-  
tis cultu nihil Græcis ac Roma-  
nis concessere. Calabri olim profusi  
adeo fuerunt hospitalitatis cultores,  
animum in hospites uberrimis decla-  
rantes donis, ut in proverbium abie-  
rint *Calabri hospitis dona*. Sic Horatius  
festive Epistolarum Lib. I. Epist. VII.  
ad Meccenatem:

*Non, quo more pyris vesci Calaber ju-  
bet hospes,*

*Tu me fecisti locupletem. Vescere sodes.  
Iam satis est. At tu quantumvis tolle.  
benigne.*

*Non invisa feres pueris munuscula par-  
vis.*

*Tam teneor dono, quam si dimittar onu-  
sus.*

Vt

\* L  
Si sub  
sub teff  
scoperit

Vt. libet : hæc porcis hodie comedenda  
relinques.

Irridet Poëta rusticam hospitalitatem,  
sed laude dignam. Leucanorum \*  
etiam celebratur hospitalitas ab Ælia-  
no Lib. iv. Variæ historiæ cap. i.

Galli Diodoro teste tanta humani-  
tate fuerunt prædicti, ut advenas statim  
domi suæ ad epulas vocarent. Quin  
Celtiberos, Galliæ incolas, fama est  
æmulatione quadam invicem pro ho-  
spitum honore certasse.

Nec Gallis Germanos impares osten-  
dit Diodorus Libro v. Quod ad mo-  
res erga maleficos & hostes sunt crude-  
les, erga hospites vero mites atque huma-  
ni. Peregrinis enim omnibus hospitium  
ultra obferunt, hospitalitatisque inter se  
officiis certant. Quos peregrini comitan-  
tur, eos laudant & Diis caros arbitran-  
tur. Idem autor de Gallis & Germa-

H nis.

\* Leucanorum lex de hospitalitate ita se habebat.  
Si sub Occasum Solu venerit peregrinus, volueritque  
sub tectum alicujus divertere. & si hominem non su-  
sciperit, multetur, & pena luat inhospitalitas.

nis. *Ad convivia peregrinos quoque invitant, cœnaque finitatum demum qui sint, quidque petitum venerint, sciscitantur.* Cornelius Tacitus de moribus Germanorum : *Convictibus & hospitiis non alia gens effusus indulget. Quemcumque mortalium arcere tecto, nesas habetur, pro fortuna quisque apparatis epulis excipit.* Cum defecerit, qui modo hospes fuerat, id est, qui exceperat, monstrator hospitii & comes, proximam domum non invitati adeunt ; nec interest ; pari humanitate accipiuntur. Notum igitur, quantum ad jus hospitii, nemo discernit. Abeunti, si quid poposceris, concedere moris, & poscendi invicem eadem facilitas. Gaudent muneribus ; sed nec data imputant, nec acceptis obligantur. *Victus inter hospites comis &c.* Dum vero dicit Tacitus hospitia apud Germanos notis ignotis fuisse communia, summus eorum amor in peregrinos ostenditur, juxta piam S. Augustini sententiam. *Disce Christiane sine discrimine exhibere hospitalitatem, ne forte cui*

cui tu domum clauseris, cui humanitatem  
negaveris, ipse sit Christus.

Thules insulæ, quæ nunc est Islandia, incolæ, advenas supra fidem huma-  
niter excipiunt, quamvis omnia ibi  
horrida & inculta. Sufficit eam gentis  
esse charitatem, ut apud eos hospitii jus  
tam advenis, quam indigenis commu-  
ne videatur. Idem reperitur Norvegiæ  
cultus, præterquam locis maritimis,  
quæ cum peregrinis moribus paulatim  
aviditas infecit.

Islandos etiam cum exteris com-  
merciū & negotiatio paulatim à pri-  
ma barbarie, ac simplicitate revocavit.  
Neque enim nostris temporibus adeo  
sunt ridiculi, quam octoginta ab hinc  
annis, cum Dithmarus Blefkenius in  
ista regione viveret. Sic enim ille in  
descriptione Islandiæ : *Advenientes in*  
*portum, filias nubiles secum habent; hæ,*  
*postquam à nostris exploraverint, an domi*  
*uxores habeant, si non habent, pro pane*  
*aut biscocto, aliave levissima re noctem*  
*promittunt. Interdum parentes mensem*

unum, aut quamdiu manserint, concedunt filias, vel gratis. Ex eo concubitus si facta fuerit gravaida, parentes majori quam antea filiam complectuntur amore, natamque prolem annos aliquot educant, donec aut pater revertatur, aut futuro genero in dotem addunt cum filia, qui minime, quod è Germano sanguine natum est, contemnit. Si quæ virgo cum viro Germano habuerit consuetudinem, in honore apud illos est, proptereaque à multis petitur processus.

Helvetiorum hospitalitatem extollit Jo: Magnus Lib. XXIIII. rerum Gothicarum & præfertim adhuc perdurat Tigurinorum, quæ est patria Guljelmi Stuchii, qui humanitatem in hospites descripsit libro peculiari de conviviis antiquorum.

Quæ vero humanitas Belgarum aliarumque gentium, quas Alpes ab Italia separarunt, hodierna die spectamus in juvenibus, virisque ad Gymnasium Patavinum confluentibus. Qui omnes, suavissimis placidisque moribus ornati,

ti, singularia beneficia erga hospites recipiendos exercent. Advenas enim juvant, si egeni; si opulentiores, iis obsequium præstant conviviis ac muneribus. Abeuntes, variis encomiis, non invitis Musis, amicos hospites prosequuntur: interdum & isti, modo carmen, ut nuper politissimus noster Gabriel Naudæus, modo libellum integrum memoriae causa reponunt. Ac, ne tot præclara nomina cum pagella ævi nostri cursu interirent, coronidis loco subdere libuit.

GABRIELIS NAVDÆI ex Italia  
discedentis ANOBATHPION  
AD AMICOS.

O Mihi dilectæ cur vitam ducere Ro-  
mæ,

Cur Latio sedem ponere fata negant?  
Quid juvat aërias toties volitasse per Al-  
peis,

Quid quater insanis vela dedisse No-  
tis;

174 I. P. TOMASINVS

Innumeris quos fama viris ad sidera tollit  
Inclita, si post hæc incola rarus ero?

Hospitium, GALEOTE, tuum, PAGA-  
NINE, tuumque,

Atque tuum, DONI, linquere si pro-  
pero.

HOLSTENIO QVE brevem si cogor  
ferre salutem,

Et paucæ ALLATIO dicere verba  
meo.

Si vestros GADDI, NARDI, TOMA-  
SINE, COTVNI,

Transeo festino quadrupedante lares.

Si tua BALDE sagax complesti, veltua  
SERVI,

Pectora non possum candidiora nive.

Sine queo ARGOLIVM, BERIGAR-  
DVM, TAVRELIVM QVE,

BENDANDVM, & PONAM strin-  
gere pro merito:

Vix quoque facundi dextram si tangere  
SCIOSSI,

Vixque Palatini GASPARIS ora  
datur.

Si te grande meis, CASSI, decus addite  
factis,

Sed

de Tesseris Hospitalitatis. 175

Sed fugiens, vel te culte QVEREN-  
GE peto.

Sineque mansurus, NICI, NOVARI-  
NE, CASALI,

Cognita tot doctis limina vestra premo.  
Denique si RHODIVM, VESLIN-

GVM, teque LICETE,  
FERRARIVMQVE mihi, vix licet  
aspicere.

Sed mea cum vigilant quærendis otia li-  
bris,

Quæis nova JVLIA DÆ Bibliotheca  
nitet.

Hac ego cum vestris capiam solatia, magni  
Phœbigenæ, absenti quæ dare Musa  
solet,

Et fruar ingenii pulcro molimine, quando  
Aspectu vestro non licet usque frui.

## C A P. X X V.

*Hospitalitatis ritus Barbaris gentibus, Scythis nempe, Turcis, Indis, aliisque familiaris.*

**N**Vlla tam barbara gens, quin hospites agnoscat. Turcæ ipsi, Bartholomæo Georgevitio teste, habent xenodochia *Imareth* appellata, Regum testamentis condita, ubi datur cibus pauperibus atque peregrinis. Sunt qui dant oryzam, *Pirimit's Tsorba* dictam, cum carnibus; alibi *Boglidas as*, quod fit ex tritico pro optione: additur panis satis magnus: potus, quem præbent, est aqua. Cæterum pernoctandi ibi, aut dormiendo locus nulli conceditur, sed habent alium locum pernoctandi publicum *Char natsanne*, ubi gratis recipiuntur hospitio: non habent tamen lectos, sed in fœno, vel stramine sub tecto dormiunt.

Gothi & Suedi advenas non solum beni-

benig  
berale  
submi  
lares  
nis re  
qui p  
excep  
blico  
quer  
nes N  
Card  
Reg  
& in  
rent,  
cumq  
si qui  
stibus  
fuisse  
buri  
privat  
hum  
W  
alacre  
rente  
scation

benigne admittunt, sed cuncta ad liberalem convictum necessaria gratis subministrant: his etiam inter populares oritur aliquando, in peregrinis recipiendis. Summae laudis est, qui plures advenas liberali hospitio exceperit, quemadmodum ille publico odio dignus, qui cibum potumque negaverit peregrino. Sic fere Johannes Magnus Lib. iv. cap. 11. narrat Carolum Gothorum & Suecorum Regem decreuisse, ut Gothi inter se, & in advenas hospitalitatem observarent, & summo dedecori esset ei, qui cumque viatorem tecto arceret, quod si quis facere tentasset & idoneis testibus ter negare hospitium convictus fuisset, immisso igne ædes suas comburi jussit, ut domibus propriis juste privaretur, qui eorum usum aliis inhumaniter denegasset.

Wandali in suscipiendis hospitibus alacres fuere, hospitium ultro offrentes: quicquid ex agricultura, pisationibus, aut venatione conquirebant,

totum in largitatis opus conferebant, eo  
fortiorem quemque, quo profusorem  
jactantes, ut autor Crantzius Lib. IV.  
Wandal. c. XXII. Wandalorum Le-  
gibus erat sancitum, quod noctu fu-  
ratus fueris, crastino die hospitibus dis-  
parties. Si quis peregrinum hospitio  
expulisse deprehensus esset, ejus do-  
mum & facultates vel diripere, vel in-  
cendio licebat consumere. Memora-  
bile est, quod narrat Olaus Magnus  
Lib. XVII. Hist. Sept. In omnibus par-  
tibus Septentrionalibus insignis est in  
hospites humanitas, & omnia sua in  
eos copiose diffundunt, existimantes  
illum diem infeliciter periisse, quo non  
contingat peregrinis hominibus be-  
neficium aliquod exhibuisse. Extant  
in hisce regionibus loca multa publica  
pro egenis hospitibus excipiendis, qui-  
bus locis Principes, vel supremus Ma-  
gistratus variam mulctam applicat, ut-  
pote de rebus ad conscientiam perti-  
nentibus. Item pecunias pro dispen-  
sationibus & mulcta illorum, qui ali-  
quam

quam personam Ecclesiasticam temerarie offenderint.

Guagninus, in descriptione Moscoviax, perhibet, eam fuisse in hospites benevolentiam, ut in Russiæ partibus populi mercatores ad se ex variis regionibus quæstus gratia venientes, libenter excipiant, quos in tuguriolis suis cum uxoribus relinquunt: ipsi vero interim venatum abeunt. Reversi, si uxores hospitum concubitu confuetudineque lætiores hilarioresque invenerint, munere aliquo hospitem donant, sin minus, turpiter convitiis lacestum expellunt. Hic tamen mos hodie desit.

Cui non dissimile quidquam de habitantibus Provinciam Chamul, Marco Polo teste oculato Lib. I.c. xxxvi i. narratur. Uxores & puellas ad hospitum concubitum relinquunt, idque honori & gratiæ adscribunt, immo Diis gratum facere, ut advenæ talibus recreentur.

Inde *Thee* potu hospites venientes

H 6 &

180 I. P. T O M A S I N V S

& abeuntes excipiunt, ut Turcæ *Cava*,  
Jacobus Bontius apud Indos nuper  
Medicus de conservanda valetudine  
Cap. vi. autor est.

Apud Tednæstanos Africæ nullum  
in oppido diversorum pro hospitibus.  
Si quis illuc appulerit, ad notum ali-  
quem se conferat necesse est, quem si  
non invenerit, nobiles inter se sortiun-  
tur, quisnam ignotum hunc mercato-  
rem hospitio excipiat.

Sic Tegesdelti, oppidi Africæ in-  
colæ, custodibus portarum mandant,  
simul ac peregrinus quispiam appule-  
rit, inquirant ab eo, habeatne aliquem  
in civitate amicum : quod si habere se  
neget, ab iis ad hospitium deducitur.  
Testis est Cœl. Augustinus Curio, in  
Marochensis Regni descriptione.

C A P.

C A P. XXVI.

*De hospitalitate Christianorum  
primævi seculi.*

**C**hristiani primævi seculi, à Serratore nostro edocti, adeo ad hospitalitatem propensi erant, ut non solum peregrinos ad hospitium cogarent, & pene traherent, veluti de discipulis euntibus Emaus sacra testatur historia, sed etiam domos suas in hospitium advenientibus peregrinis dicarent. Meminit hujus moris B. Augustinus in Psal. LXXV. *Alii vovent domum suam esse hospitalem omnibus sanctis advenientibus; magnum votum vovent.* Cellulas proinde hospitalales habebant. S. Paulinus Epist. x. ad Severum. *Tugurium vero nostrum, quod à terra suspensum cœnaculo una porticus cellulis hospitalibus interposita longius tenditur, quasi dilatatum gratia Domini.* Erant enim evangelizantium præcepta ut D. Ambrosius Lib. vi. in cap. ix.

Lucæ docet, Quibus primo omnium datur pacis atque constantiæ generale mandatum, ut pacem ferant, constantiam servent, hospitalis necessitudinis jura custodiant: alienum à prædicatore regni cœlestis afferant, cursitare per domos, & inviolabilis hospitii jura mutare. Sed ut hospitii gratia deferenda censemur: ita etiam, si non recipiantur, excutiendum pulverem, & egrediendum de civitate mandatur. Quo mandato non mediocris boni remuneratio docetur hospitii, ut non solum pacem tribuamus hospitiis, verum etiam si qua eos terrena obumbrant delicta levitatis, receptis Apostolicæ prædicacionis vestigiis auferantur.

Quin etiam à calumniatoribus fidei Christianæ comprobatur antiqua Christianorum hospitalitas, ex Ioannis Gabrielis Bisciolæ Epitome Baroniana ad Annum LXXV. Impostor quidam & nequam, nomine Christianus, ne egeret, atque adeo abundaret ex beneficentia Christianorum, describitur à Luciano per hæc tempora peregrinatus, sub nomine pere-

peregrini; ex quo colligitur effusa largitas Christianorum, & effusissimum studium hospitalitatis.

Immo plures ex liberali Christianorum profusione in peregrinos & advenas, paganismum abnegantes, Christi cingulo honestantur. Baronius ad Annum cccxvi. *Hic unus mihi inter plurimos occurrit, Magnus Pachomius, adhuc gentilis, hoc anno, militiae in exercitu Licinii, adscriptus, qui cum eßet annorum viginti, ob summam humanitatem ab una Thebarum civitate Christiana, hospitibus exhibita etiam gentilibus (quæ Oxyrinchus putatur) excitatus in amorem Christianæ religionis, eam se amplexurum professus est. Hic Pachomius hospitale construxit in portu Romano.*

Et ex Baronio Tomo v. ad Annum cccc. *Accepimus, quod Fabiola prima Romæ infirmorum hospitale erexerit, in quo agrotantes de plateis, ac corrupta languoribus atque inedia miserorum membra fovet, ut S. Hieronymus tradit*

Epi-

Epistola xxx : cui etiam Epistola II.  
T. i. inter corporis virtutes enumera-  
rantur, peregrinorum suscep<sup>tio</sup>, & de-  
fensio pauperum.

Iotichius primus hospitalarius ce-  
lebratur à Clarissimo Iurisconsulto  
Lapo de Castelliono, in Tractatu de  
hospitalitate, Tom. IIII.

Celebres hospitalitatis sectatores  
Martha & Maria Magdalena, quæ sæ-  
pius Christum hospitem habuere.  
Aliæque sacræ mulieres, B. Virginis  
sociæ. Cultores S. Apostoli, & disci-  
puli Domini, cæterique Christiani pri-  
mi ævi, qui invicem summa charita-  
te hospitabantur. Non enim veteres  
Christi fideles fuerunt soliti mendicare.

Constantinus tandem, Imperator  
Magnus, postquam Christo nomen  
dedisset, omnia pietatis munera ma-  
gnifice exercuit. Templa plurima  
mira majestate & pretiosis donariis  
onusta extruxit: hospitales domus  
pro recipiendis peregrinis ædificavit:  
Et in Concilio Romano, quod ipso  
præ-

præsente cum Helena matre Silvester Summus Pontifex habuit, sancitum est, ut reditus Ecclesiæ in quatuor partes dividerentur. Quarum una cederet Pontifici, altera Presbyteris, Diaconis & Clero; tertia Templorum & Ecclesiarum reparacionis: quarta pauperibus, infirmis, & peregrinis. Hinc præceptum Clericis, ut sint hospitales; Hieronymus Papæ Damaso scribit: *Quidquid habent Clerici, pauperum est, & domus illorum omnibus debent esse communes, & quod ipsi Clerici susceptioni peregrinorum & hospitalium invigilare & studere debent.*

Et quid quæso effecit summus ille Imperator, dum Vrbis Romanæ maiestatem Byzantium transtulit, illam Summo Pontifici cedens, nisi quod viro hospiti & fere extraneo, ad apicem Ecclesiæ divinitus evecto, Imperium pro liberali hospitio magnifice concesserit? Munificentiam Principis in extuendis xenodochiis celebrant Orientalis Imperii historiæ. Eandemque viam

viam institisse Pulcheriam Theodosii fororem, Placillam Theodosii uxorem abunde testatur historiæ compendio Georgius Cedrenus, scriptor suarum rerum satis diligens. In immensum cresceret opus, si omnia Xenodochia, aliaque pietatis opera, peregrinorum commodis à Principibus extorta, enumerarentur.

Libet hic è multis hospitalitatis exemplis pauca è Sanctorum Patrum vitis in unum conferre. De Monachis in Nitria commorantibus Russinus Aquilejensis presbyter: *Vbi peregrinos fratres advenire senserunt, continuo velut examen apum, singuli quique ex suis cellulis proruunt, atque obviam nobis lato cursu & festina alacritate contendunt, portantes secum quamplurimi ipsorum urceos aquæ, & panes, secundum quod Propheta corripiens quosdam dicit: Quia non existis filiis Israel obviam cum pane & aqua. Tunc deinde suscepitos nos adducunt ad Ecclesiam, lavant pedes, & singuli quique linteis, quibus utebantur, abstergunt.*

De

De Abraamo Theodoretus Cyri  
Episcopus narrat: *Advenientibus ho-*  
*spitibus erat & totus paratus, egregius*  
*autem & selectus panis eis offerebatur, &*  
*vinum odoriferum, piscesque & olera, &*  
*quæcumque sunt eis conjuncta. Quin*  
*etiam ipse quoque meridie assidebat con-*  
*vivantibus, eorum quæ apponebantur*  
*partes unicuique offerens: & dans uni-*  
*cuique calices, & jubens bibere, & eum*  
*qui erat ejusdem secum nominis imitans,*  
*Patriarcham inquam, qui ministrabat*  
*quidem hospitibus, sed non simul convi-*  
*vabatur.*

Sulpitius & Cassianus narrant de  
Monacho in Syria, qui ante constitu-  
ram horam peregrinos se reficere coë-  
git: Percontantibus illis, cur ante con-  
suetam refectionis horam prandere eos  
cogeret, respondisse: *Iejunium fratres*  
*semper est mecum, vos autem continuo*  
*dimissurus mecum jugiter tenere non po-*  
*tero. Item alterum Monachum, qui*  
*nusquam solus escam sumere solitus*  
*erat, referunt. Celebratur pariter*  
Theo-

Theodori Patriarchæ Hierosolymitanæ  
in hospitem benignitas à Ioanne  
Moscho.

Primum nempe vitæ Monasticæ  
præceptum erat obedientia Prælato,  
peregrino hospitalitas exhibenda: im-  
mo hospitalitas erat ipsa charitatis re-  
gula. Frater quidam venit ad solita-  
rium (ex Græco incerto interprete  
Pelagio) & cum egrederetur ab eo di-  
xit: *Ignoscet mihi, Abbas, quia impediui  
regulam tuam. Ille respondet & dixit ei,*  
*mea regula est, ut recipiam te in hospi-  
tate, & cum pace dimittam.* Immo  
Anachoretæ in eremis degentes adve-  
nientem exceperunt sine jejunii obli-  
gatione: *Venerunt aliquando duo fratres  
ad quemdam senem: consuetudo autem  
erat seni, non manducare quotidie. Qui*  
*cum vidisset fratres, gaudens suscepit  
eos, & dixit, jejunium suam mercedem  
habet.*

Sic Moïses Abbas, quum in ipsa  
hebdomada ante Paschatis ferias acce-  
derent fratres quidam ex Ægypto, pa-  
ravit

ravit eis modicum pulmentum, & cum  
vidissent vicini fumum, dixerunt Cle-  
ricis Ecclesiæ, *Ecce Moïses solvit man-  
datum, & coxit apud se pulmentum.*  
Mitto innumera hujus vescendi exem-  
pla de Sanctissimis illis Anachoretis.  
Sed memoria dignum pro coronide  
sit id, quod Ruffinus de hospitalita-  
te Oxyrinchæ civitatis in Thebaïde  
narrat. *Ipsi quoque Magistratus &  
principales Civitatis, & reliqui cives stu-  
diose per singulas portas statuunt, qui ob-  
servent, ut sicubi apparuerit peregrinus,  
aut pauper, certatum ad eum, qui præ-  
occupaverit, adductus, quæ sunt necessa-  
ria consequatur.*

## C A P. XXVII.

*Posterioris ævi apud quasdam  
nationes hospitalitas re-  
cenſetur.*

**S**ed ne prisca tantum miremur, nostris quoque temporibus nemo negaverit, apud fideles Christi cultores, atque in primis Ecclesiasticos Primate, cæterosque Principes omnia antiquæ hospitalitatis jura servari ac vigere. Nec dictu facile, num majori usquam studio exerceatur, quam Romæ in peregrinos, Religionis voto accedentes, cum omni anni tempore, tum præcipue imminentibus Sacrosanctæ Resurrectionis Domini Christi feriis, quarum veneratione frequentiores afflunt ad Vrbem advenæ. Ære publico variis in locis ii excipiuntur, ad eadem nempe S. Ioannis Lateranensis, ac Divi Spiritus; sed majori nunquam & splendidiori apparatu, quam in celebri S. Trinitatis Xenodochio: ubi è Reli-

Religiosis primi, Summoque Pontifici sanguine juncti, peregrinorum commodis quocumque ministerio strenue invigilant, etiam sese ad pedum lotionem demittentes, praeunte nonnumquam Summo Pontifice. Horum exemplo Principes pari studio omnia pietatis officia in hospites exercent. Nec inferiore charitate id praestant matronæ, natalibus clarissimæ, recipiendo cujuscumque fortis feminas, quibus summa pietate, & insigni cultus apparatu ampla destinata sunt hospitia. Ecclesiæ insuper omnes Nationales Germanorum, Gallorum, Hispanorum, & aliorum, suos cives excipiunt, & per aliquot dies alunt. Adeo Romæ in excipiendis hospitiis cum magnificentia certat pietas: immo magna Christianæ Religionis ratio in ejusmodi exercitia sese jam diffudit per universam Italiam, Principumque ingenio, ac magnificentia eo crevit, ut communi sententia veterum Græcorum, ac Romanorum, alia-

aliarumque nationum exempla exce-  
dat. Quippe occurruunt passim per  
Italiæ oras xenodochia in viis , in op-  
pidis , in urbibus, publicis impensis, &  
privatim piorum hominum testamen-  
to extructa, & facultatibus aucta , ma-  
ximeque superioribus seculis. Ut de  
aliis sileam. Patavii xenodochia olim  
quadraginta quinque summa religio-  
ne aperta legimus , vero conditoris sui  
Antenoris exemplo , quem hospitali-  
tatis eximiæ cultorem accepimus.  
Adeo Patavini hospites amplecti con-  
suērunt , ut Caroli V. Imperatoris  
tempore Bononiæ in museo Achillini  
aureis literis scriptum videret Ludo-  
vicus Pasinus , Medicus clarissimus.  
**PADVA LÆTA , GENTE RE-  
PLETA. VERVM PADVA A-  
LIOS NVTRIT , SVOS DEVO-  
RAT.** Quod commune aliis urbibus  
Provinciæ , in quibus adhuc remanet  
nescio quid Gothicum , vel Longo-  
bardicum, nec raro civibus exteri præ-  
feruntur. Vicentini tamen palmam  
ferunt

ferunt præ cæteris , qui suorum non immemores , omni laudabili hospitalitate florent. Illuc enim accedentes summa comitate quoscumque literatos , aut virtute aliqua viros celebres excipiunt , & apud se retinent , eisque symbola certatim mittunt. Insignis etiam hospitalitas viget in tota Histria , cui defunt cauponæ. De qua nos fuis in Historia ejus Provinciæ.

Mitto Italos Principes opes suas in hospitibus recipiendis profundere. Quo splendore in primis Serenissima Venetorum Respublica facile primas tenet , dum à suis majoribus edocta sic omnia hospitalitatis jura præstat , ut in his tuendis servandisque non minima Patrum cura versetur , ne quid pom- pæ , aut majestati desit , in edendis spe- ctaculis , largitionibus , muneribusque amplissimis , quibus magnatum ani- mi conciliantur , Regumque & Prin- cipum favor stabilitur , si quando Principes advenæ excipiendi : sed in hac Vrbe in primis conspicua est

singularis omnium in pauperes pietas & munificentia. Senatores neunpe primi ordinis xenodochiis præsunt, ea vigilantia, ut urbs Veneta vere peregrinorum hospitium, egentium receptaculum, & communis omnium adventantium patria perhibeatur.

Longum nimis foret, quosvis civitatum mores omnes recensere. Vnam tamen non prætermittam; pulcherri-  
mam quippe omnique laude dignam Cesenæ urbis in recipiendis hospiti-  
bus consuetudinem. Cum enim olim publicorum diversiorum nullus pe-  
ne heic esset usus, singuli illius civi-  
tatis Patres, quamprimum hospi-  
tem conspexissent, in domum suam excepere, tanta hospitalitatis con-  
tentione, ut sæpe res à rixis ad con-  
flictum veniret. Decretum itaque,  
quomodo hospites exciperentur. E-  
recta enim fuit in foro columna, in  
cujus ambitu fixi erant tot annuli  
ferrei, notis distincti, quot essent  
nobiles familiæ, cautumque fuit tol-  
lendæ

lendæ controversiæ causa , ut ad cuius annulum alligasset hospes equum , in ejus domum diverteret. Hollandarius auctor in Prodromo Nobilitatis. In quam rem plura Cl. Vir Fortunius Licetus , in Patavino Gymnasio primarius Medicinæ Theoricæ Professor , Libro de Annulis.

Viri eruditæ Angelici Aprofii indicio , amœna est , dignaque posterorum memoria , Illustrissimæ Spinularum familiæ originatio , Episcopi Augustini Iustiniani Annalium Genuensium Lib. II. ubi narrat anno M C II . Guidum , filium Belli , Vicecomitis , primum Spinulæ cognomen fuisse nactum , cum hospitibus frequentioribus liberaliter exceptis , variæ generis vina promi juberet . Spina enim Italæ dolii siphunculus est , & spinolare Liguribus est vinum è doliis haurire . Hac igitur antiquis gentiliis insignibus , nempe tesserulis xxviii . albis & rubris simul junctis instrumentum illud insigni hospitalitatis exemplo accessit . Quem

196 I. P. T O M A S I N V S

majorum morem secuti ejusdem Clari-  
fissimæ familiæ posteri.

C A P . XXVIII.

*Hospitum discedentium ritus.*

**C**ommune erat apud cultiores gentes, læto animo hospites excipere, & ægre dimittere. Sed & discedentibus hospitibus in viam cibi dabantur. Ita dimititur à Nestore.  
Lib. III. Odyss. Telemachus. Verit hoc amicissimus noster Ioannes Argolus.

*Conda dedit mulier panem Bacchique  
liquorem,*

*Atque cibos, comedunt Reges quos  
rite beati.*

Dulciaria præterea dabantur, præcipue pueris, quibus ipsi demulcentur.

Homerus εγαδ' ὅμεινα δῶν πολλὰ μάλα.

*Dulciaria ego quidem multa dabo. De  
qua re Scholiares Apollonii Rhodii  
Lib. III. sic πέλαροι, πέμπαλα bellaria,  
mattyæ; unde mazapanis marspane,*

cupe-

*de Tesseris Hospitalitatis.* 197

cupediæ unde *Cupeta* dulciarium, quo  
Natalis Domini diebus vescimur, buc-  
cellatus panis, *buccellai*, ξυπός ἀπλός à  
Græcis dictus. Hinc Scholiaſtes ad  
primam Eclogam Theocriti, & Didy-  
mus ad eum Odyſſe. ibique Eustathius,  
de more vescendi veterum eleganter,  
quamvis ad cibos militares ſive Lace-  
dæmoniorum ea prolata ſint, neque  
ad omnium veterum & Romanorum  
uſum omnino trahenda patet explica-  
tione ~~anæno με~~ apud Scholiaſtem Theo-  
criti. Dabantur etiam alia munera  
nobiliora. Menelaus Crateram argen-  
team diſcedenti Telemacho hiſce ver-  
bis obtulit:

*Ecce tibi cratera dabo, eſt argenteus  
ille*

*Totusq[ue] aurato ſuffusus labra metallo  
Vulcani labor, atque dedit quem ma-  
ximus Heros.*

*Sidonius mihi Rex. &c.*

Sic etiam Helena illi munus ſuum ita  
Latine tradit:

*Sic ea dicebat manibus peplumque te-  
nebat:*

*Hoc tibi care puer dona dabo pignus  
amoris*

*Fida Helenæ, quem nupta sibi, cum  
venerit hora*

*Ipsa feret quondam, interea sepone pa-  
rentis*

*In thalamo, felixque mihi tua tecta re-  
vise,*

*Inque lares latos pariamque revertere  
terram.*

Aureum cantharum Deūm Mater so-  
rori suæ Deæ Syriae hospitale munus  
obtulit, Apuleio teste Metam. Lib. ix.

Nero Claudius Tyridati Armeniæ  
Regi abeundi contulit festertium mil-  
lies; nimirum quinquagies centena  
millia Carolinorum, ex supputatione  
Adriani Junii.

Item cum dimittebantur hospites  
ipsis ~~xenia~~ tradebantur, quæ proprie A-  
pophoreta Martiali, quod retro fer-  
rentur, nempe domum. Xenia enim  
com-

communia discubentibus in hospitio. Sic Martialis Librum xiiii. XENIA inscribit, quæ non solum hospitibus, sed etiam amicis dabantur, qui saepe conjunguntur. Ita Cicero pro S. Roscio Amerino: *Fama & vita innocentis ab hospitibus amicisque paternis defenditur.* Martialis igitur, quia resmittendæ deerant, disticha conscripsit, quæ loco xeniorum & suis ipse amicis miteret, & ipsis mittenda suaderet,

— — — *Hospitibus pro munere disticha  
mittas.*

Erant etiam quædam præcepta, quæ discendentibus dabantur, sive ad utilitatem, sive ad honoris speciem conseruentia, xenia Græcis dicta. Puta cum discendi amico, ut sibi caveret à vitio aliquo injungeretur: & prudentiores saltem dicebant: *Tu memor esto mei.* Exempla habes de veris narrationibus apud Lucianum, ubi ipsi à Minoë tria præcepta observanda memoriæ mandantur.

Exemplum habes in Medea Euripidis apud ipsius Scholiastem, ubi discedentem Iasonem Medea, sicut Neopron adnotat, *ξερινᾶς* salutaribus minis admonet. Nec inusitatum fuisse videotur Scriptoribus Lectori sui memoriam insinuare. Ita namque in clausula Alexipharmacorum Nicander interpretis Latini verbis: *Nicandri Poëta memor sis: sic fiet, ut Hospitalis Iovis legi non renitare.* Nec alia de causa inventi à Germanis, qui virtuti literisque operantes peregrinantur, libelli in quibus magnorum virorum symbola, ac veluti amicitiae tesseras reportant.

Discedentibus etiam tabellam hospitalitatis dabant, quam si alteram in ingressu ostenderant, iis pariter novam in veteris amicitiae renovationem conferebant. Locus est præclarus in Medea Euripidis citatus à Scholiaste.

Hodie frequens & communis usus est discedentibus viris claris, vel Legatis,

ac

ac Ora  
Idem l  
Summa  
non so  
liquas  
rea, f  
ac Illu  
accede  
Nec  
bus an  
los, &  
cumq  
Si q  
nituissi  
bat, i  
Verrer  
ife St  
ciat.  
Si q  
tesseran  
batur.  
Al  
fir  
Hic  
fr

ac Oratoribus Principes munera dare. Idem liberalitatis honor primum apud Summum Pontificem adolevit , qui non solum cuilibet Prælato sacras reliquias Sanctorum , ac numismata aurea , sed Oratoribus & Principibus , ac Illustrissimis mulieribus Romanis accendentibus , pretiosa munera donat.

Nec minus privati viri discedentibus amicis xenia tribuunt ; item annulos , & suas imagines donant , viaticumque pro itinere porrigunt.

Si quem vero contracti hospitii pœnituisset , renunciare hospitium solebat , ne hospitii jus violaret. Sic in Verrem Act. iv. *Itaque vehementer iste Sthenio infensus , hospitium ei renunciat.*

Si quis autem jus hospitii violabat , tesseram hospitalem confregisse dicebatur. Plautus in Cistel.

*Abi quare ubi jurijurando tuo satis  
sit subsidii ,  
Hic apud nos jam Alcesimarche con-  
fregisti tesseraam.*

\* Restabat alia hospitum discedentium tessera cuius notitiam ex suppeditante Gregorio Turonense, Chifletius in anastasi Childerici Regi, & nos supplendis quæ hic desiderabant ex Chifletio exhibemus.

In abacis, inquit, Antiquariorum frequens est mediae magnitudinis nummus ex arte flavo vel nigro, qui exhibet Augusti Casarii & M. Agrippæ aversa mutuo capita: in postica autem parte Crocodilum, animal Nilo familiare, palma arbori alligatum. Signavit illum COLONIA Gallæ Narbonensis NEM AV SVS utriusque Principis honoris, post Ægyptum captam. Nummorum ejusmodi partes dimidie dextrae, que Augusti caput referunt, reperta sunt Roma, cum illic ageret amicus noster Clarissimus Menetrius, qui eis vocabat Arrhas, nulla adjecta explicatione; binisque donavit fratrem meum Philippum Chifletum, Abbatem Balernensem, flava una, nigraque altera: qui & tertiam accepit (itidem nigram, sed sinistram, Agrippa capite signatam, & in hoc Belgio repartam) à Carolo Broman civi Bruxellense, Rei antiquaria apprime studioso. Nummum divisum hic exhibeo, usurpatum mea sententia, pro Arrhabone, sive tessera inter amicos absentes, & longe disitos.

Amicitiam enim quæ est amicorum conjunctio, locus non dirimit. Qui manebat Roma, partem dextram servabat Augusti capite signatam: qui peregre proficiscihebatur, sinistram cum Agrippa effigie deferebat: quod existimat Gentilis vetustas, LAE & DEOS defunditorum animas esse, qui qua opera fecissent in vita, eadem mortui tuerentur. & paulo post. Sperabat ergo amicus, qui Roma manebat, Augustalius vultus, ut domestici Laris cultu, amicum abeuntem in profectione sua felicem fore: ac se vicissim fortunatum peregrinator, quod Agrippa imaginem ut LAREM VIALEM secum gestaret ac coleret. Sic ut nummus ille biperitus quadam est amoris arrha, per quam corda absentium amicorum longe dissipata mutari complexus desiderio aleren-

117.



era cu-  
mense,  
pplen-  
emus.  
media  
qui ex-  
mutua  
animal  
avit il-  
M A V-  
em ca-  
extra-  
, cum  
, qui  
inijone  
Abba-  
qui &  
Agrif-  
Caro-  
pprime  
patum  
amico-  
inctio,  
m dex-  
vergre  
defere-  
R E S  
pera fe-  
paulo  
nebat,  
micum  
'e vici-  
magis-  
gesta-  
uadam  
amico-  
alerem.

A P.

## C A P. XXIX.

*De mercenaria hospitalitate : ubi  
de Caupona, Taberna, Sta-  
bulo, & Diversorio.*

**R**Atione excipiendi hospites gra-  
tuita jam satis perspecta , non-  
nulla breviter de mercenaria dicen-  
da , quam veteribus fuisse in usu fa-  
tis constat. Cic. Lib. 1. de Divina-  
tione : *Cum duo quidam Arcades fami-  
liares iter una facerent , & Megaram  
venissent , alterum ad cauponem diver-  
tiſſe , ad hospitem alterum : qui ut cœnati  
quiescerent , concubia nocte viſum eſſe  
in ſomniſ ei , qui erat in hofpicio , illum  
alterum orare , ut ſubveniret , quod ſibi  
à caupone interitus pararetur. Certi  
enim homines lucri cauſa viatores  
quosvis pro mercede excipiunt ; illis-  
que teſti ſoliuſ uſum , vel etiam ali-  
menta præbent. Hi à Latinis caupo-  
nes , ſive copones dicuntur. Alii fo-  
lum panem ſine vino. Apud Cice-  
ronem*

ronem in Pisoniana copæ videntur:  
*Panis & vinum de propola;* & *de copa.*  
